

VULTEIUS (Joannes)

HENDECASYLLABORUM LIBRI QUATUOR (4635 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue, en 1538, à Paris, chez Simon de Colines.

JO. VULTEII RHEMENSIS HENDECASYLLABORUM LIBER PRIMUS.

(1426 vers)

AD SUOS HENDECASYLLABOS, QUOS POETIS SUI TEMPORIS DEDICAT.

H1_1	v.1	Ite, ite hendecasyllabi mei, cur
	2	non dicam hendecasyllabos meos, quos
	3	confecit labor et dedit ? Mei ergo
	4	ite, ite hendecasyllabum libelli.
	5	Non ad Pontificesque Caesaresque,
	6	sed nec ad proceres ducesque, nec vos
	7	intra limina Regiae domus, nec
	8	intra scrinia vos potentiorum
	9	admitti patiamini ; sed ipsum
	10	fontem Castalium sacramque Phoebi
	11	aulam, nobilium laresque vatum,
	12	ite, ite hendecasyllabum libelli.
	13	Reges Pontificesve Caesaresve,
	14	vobis non hodie solent vacare.
	15	Mirantur, fateor, librosque laudant

16 lectis nec bene versibus duobus.  
 17 Quos longos vigilaverit per annos  
 18 vatis Musa pii diserta. Sed quae,  
 19 quae nam gloria comparatur inde ?  
 20 At vos excipiunt sacri poetae,  
 21 exceptos relegunt, canunt, revolvunt.  
 22 Et pro muneribus meis pusillis,  
 23 ad me munera grandiora currunt.  
 24 Vobis illi etenim perenne nomen,  
 25 indelebile mique suscitabunt.  
 26 Nullus nesciet esse vos Poetae  
 27 Vultei hendecasyllabos, Poetam  
 28 Vultei hendecasyllabum fuisse  
 29 omnes meque scient, malo lacesat  
 30 si quis dente meum asperoque carmen,  
 31 non deerunt mea scripta qui tueri,  
 32 et defendere sint stylo parati,  
 33 aut pilo. Ite igitur, mei libelli,  
 34 ite, ite, hendecasyllabum libelli  
 35 ad doctos, nitidos probosque vates.  
 36 A me dicite vos fuisse missos,  
 37 illis vos etiam esse dedicatos.  
 38 Ad se, sat scio, vos statim vocabunt,  
 39 nec vos, ni pereant, sinent perire.

## AD LIBELLUM.

H1\_2 v.1 Ut quis invideat tibi, timendum  
 2 non est, crede mihi, libelle, non est.  
 3 Sannae letiferae insolentiaeque  
 4 plenae, nil Critici, nihilque Ronchi,  
 5 rictus, scommata, sibili, nocere  
 6 nil umquam poterunt tibi, libelle.  
 7 Quod si Mulciberi ars fabri, vel unum  
 8 nasum ex omnibus et quidem trabalem  
 9 conflēt, non timeas pili aestimesve,  
 10 cusum incude rudi putesque nasum.  
 11 Momos et Criticos habes patronos,  
 12 omnes denique vindices Poetas.  
 13 Quid est quod tibi jam potest obesse ?  
 14 Vivent numina donec, ipse vives.  
 15 Istud polliceor tibi, Libelle,  
 16 falsum dicere num putas parentem ?

## AD LECTOREM.

H1\_3 v.1 Spe Tortonius ut meum poema  
 2 jamjam devoret et diem notet, quo  
 3 in lucem venient mei phaleuci,

4 quos praelum nec adhuc taberna vidit,  
 5 ulla bibliotheca nec receptos,  
 6 nidis inseruit suis. Quid ad me ?  
 7 Suevit fallere saepe spes hiantem.

HENDECASYLLABI, AD ELEGOS SUOS.

H1\_4 v.1 Vos jam, vos, elegi leves, valete.  
 2 Vulteius negat esse se parentem  
 3 vobis, hendecasyllabos pusillos,  
 4 nos inquam hendecasyllabos, Poeta  
 5 discit esse animam suam, suum cor,  
 6 suas delicias, suos amores.  
 7 Vos nothos vocat, improbat velutque  
 8 vilem, illegitimum putremque foetum.  
 9 At nos legitimos vocat puellos,  
 10 nos amplectitur et deosculatur,  
 11 nos et noctibus et diebus optat  
 12 semper ante oculos suos videre.  
 13 Et vos praeterit ut meros abortus.  
 14 Quare vos, Elegi leves, valete,  
 15 ac jam quaerite, ni perire vultis,  
 16 illos, vos quibus ante dedicavit.  
 17 Ad Regis properate Franci Achatem.  
 18 Castris quaerite, vel Tolosae amici  
 19 tecta, fletibus aut gravi e sepulchro  
 20 clausum pergite suscitare Pinum.  
 21 Ruffi dextera vos tegat, parentis  
 22 successisse loco utriusque, quem vos  
 23 jactastis. Poterunt favere forsan  
 24 vobis, temporibus malis. Nec is qui  
 25 passus est sibi vos prius dicari,  
 26 qui laeta quoque fronte vos recepit,  
 27 idem perferet orphanos, et unus  
 28 de tot divitibus, memor pudoris,  
 29 succurret miseris, parensque fiet.  
 30 Vos ergo, o Elegi leves, valete.  
 31 Et jam quaerite, ni perire vultis,  
 32 illos vos quibus ante dedicavit  
 33 Vulteius Dominus parensque noster.

AD JO. GROLIERIUM LUGDUN. FORTUNA.

H1\_5 v.1 Fortunam faciunt deam locantque  
 2 caelo, omnes veteres, novi et Poetae :  
 3 At cur id faciant putentve, nondum  
 4 mente adhuc potui assequi. Sed audi  
 5 de illa deque domo illius quid ipse  
 6 credam, credere credo me putabis

7 verum, omnes veteres novosque falli.  
8 Fortunam esse luem gravemque pestem,  
9 semen nequitiae, doli parentem,  
10 ad culpam quoque januam patentem,  
11 credo confiteorque sentioque.  
12 Cujus summa quies, ruina. Motus,  
13 est constantia. Scandere, ipse casus.  
14 Stare est volvere. Cui modus, modum non  
15 servare. Estque fides, fidem haud habere.  
16 Cujus est pietas, pium negare.  
17 Quae dum fixa putatur, errat illa.  
18 Hoc solum retinens fidelitatis,  
19 ulli nesciat esse quod fidelis.  
20 Hoc firmum, stabile hoc, quod illa numquam  
21 est firma et stabilis, nec illa mendax  
22 veracem nisi cum putabis esse.  
23 Vultus ambiguos gerit. Rubens pars  
24 una est, altera pallida est. Quod una  
25 offert illa manu, altera reposit.  
26 Una comprimit, altera relaxat.  
27 Parca una modo, prodiga modo una.  
28 Progressu graditur statim illa lento,  
29 veloci modo. Nunc stola nitescit  
30 et splendet meliore, veste nunc haec  
31 plebescit lacera horridoque cultu.  
32 Nunc ridere videtur illa honores  
33 antiquos, modo se dolet carere  
34 dimisso imperio arduisque curis.  
35 Hoc uno similis sibi, quod illa  
36 semper dissimilis sui. Domum tu  
37 cujus si cupias videre, caelum  
38 non altum aspicias Jovis nec aulam.  
39 In caelo illa nec est fuit nec umquam.  
40 Fixa est nidulus ut volucrum, in alto  
41 rupis culmine. Vallis est in imo  
42 pars, est altera collocata in alto  
43 collis vertice. Pars superbit hujus  
44 argento et niveis referta gemmis,  
45 hiatu altera pars fatiscit amplo.  
46 Casum, dum patitur poli marisque  
47 ventorum et rabiem minatur. In qua  
48 domo, tam misero solo locata,  
49 praeceps praecipitem movet rotam sors,  
50 motu perpetuo ; et nec ulla motum  
51 sistunt otia, sed labor laborem  
52 adfert usque novum, manum manusque  
53 si forsan labor alteram fatiget,  
54 prompta est altera, quae velut relictas  
55 partes sustineat suae sororis.  
56 Motum perpetuat juvatque casus  
57 fatalis, miserae miser maritus.

58 Adstant pestibus his duabus et tres  
59 pestes, dissimiles nihil duabus,  
60 natae, sic puto, pestium duarum.  
61 Omnem quae rapiunt rotae quietem,  
62 rotae turbo rapax celerque raptus  
63 involvit juvenes, senes, potentes,  
64 reges magnanimos, duces, pusillos,  
65 abjectos, laceros, rudes, ineptos,  
66 doctos, eximios, graves, venustos,  
67 prudentes, stolidos, leves, politos,  
68 incultos, stupidos, bonos malosque.  
69 Hunc suo horribili impetu, vel illum,  
70 numquam praeterit, excipit nec ullum  
71 prorsus a celeri ruina, et ipso  
72 casu. Hunc ancipiti usque ad astra tollit  
73 motu. Atque hunc modo dejicit, gradumque  
74 ne quis continuum sequatur, instat.  
75 Et ludibria ferre dura fati,  
76 in fluctus varios trahique, qui se  
77 vel ex arbitrio sinunt rotari,  
78 vel ferunt facile infici, ipsa perfert.  
79 Qui nunc summa rotae tenet, tenebit  
80 momento infima qui jacet, resurgit.  
81 Qui stat, deprimitur. Caditque rectus.  
82 Qui nunc liber erat, statim ille servit  
83 dives qui fuerat, miser gravate  
84 mendicat. Varia potenti in Aula  
85 qui nuper Domino placebat, aura  
86 pestis ebrius hujus, huic negatur  
87 esse quod fuit ante. Qui putat se  
88 nullo turbine posse dimoveri  
89 loco et se in manibus ducum tenere  
90 mentes, exilium prius paratum  
91 cernit, cur sibi quam sciat paretur.  
92 Qui multos hodie in cruces adegit,  
93 in fixam sibi cras crucem vocatur.  
94 Qui poenam statuit subire poenam  
95 idem cogitur. Hacque peste tacti  
96 id datum sibi sentiunt relictæ  
97 spei, spes sibi nulla quod salutis  
98 monstretur. Tibi vis ut ipse paucis  
99 dicam ? Hanc esse deam putabo numquam,  
100 quae rectum vitiat fugatque justum.  
101 Perdit utile, respuit probandum.  
102 Quod si esset Dea, et haec locata caelo,  
103 humano generi nocere nollet.  
104 Sed contra instabilis, vaga atque aberrans,  
105 nil dat quod mage non nocere possit,  
106 quam boni dare commodive quicquam,  
107 in qua, cui sita spes sit, is videtur  
108 esse innixus arundini, vel Euro,

109 vel navi undique quam manet Carybdis.  
 110 Quae cum sic habeant, quid obstat, oro  
 111 cur pestem exitiabilem vocare hanc,  
 112 implacabilem et improbam luem jam  
 113 non ausim, quae hominum est nocens flagellum ?  
 114 Quid est cur hominum vocem deam, quae  
 115 non sinit generis quiesse mentes  
 116 humani ? Veteres deam ut vocarint,  
 117 hanc possum merito vocare pestem,  
 118 quae fallax nimium, parum tenaxque est,  
 119 quae nil magnificum, elegans, venustum,  
 120 ex quo non scateat mali amplius, quam  
 121 boni umquam dabit aut dedisse fertur.  
 122 Hanc hanc pestem etiam putabis esse  
 123 infestam, subitam, gravem, insalubrem,  
 124 nostrum si videas poema. Sed quid  
 125 dico ? Te aspicias, lue inquinatum hac,  
 126 jam causa sine te videbis esse,  
 127 et de te egerit usque quos triumphos,  
 128 nil conscire tibi tamen nec ulla  
 129 expallescere culpa, in ore vulgi est.  
 130 Finem imponere sed juvat, lues ne haec  
 131 in me sit truculentior Poetam,  
 132 in te quam fuerit superba, vates  
 133 inque temporis hujus et sepultos,  
 134 hanc jam desino concitare. Quare  
 135 sit de illa tibi sat superque dictum,  
 136 et tu cetera cogitare pergas.  
 137 Te, quod proposui tibi, docebis  
 138 verum : omnes veteres novosque falli,  
 139 qui fecere deam, polo et locarunt,  
 140 quam pestem facimus, locamus Orco.

IN BRITONES.

H1\_6 v.1 Gallus Ausonius poeta dixit :  
 2 "Possunt non bene convenire in unum  
 3 corpus Brito et homo bene ille." Sed plus  
 4 dico : vix bene convenire possunt,  
 5 brutum et Brito, magis tenet virique hoc,  
 6 qua bruti hic teneat. Quid ergo Brito est ?  
 7 A me audire cupis ? Vorago, abyssus,  
 8 gurges, atque meri mare est profundum.

DE EISDEM.

H1\_7 v.1 Britones sine belluas vocare.  
 2 Sunt fungi lapidesque caudicesque.

## IN QUEMDAM AULICUM.

H1\_8 v.1 Castas, qui volet, aestimet sorores,  
 2 dicis : "Quas habeo aestimo impudicas."  
 3 Illas profuit et mihi esse quod sunt.  
 4 Haec si casta, et adhuc fuisset illa,  
 5 pressit mentula quas beata, nudus  
 6 qui passim Dominus salutor, essem.  
 7 Pusilli est animi, Aulice, et jacentis,  
 8 cunnis quaerere gloriam sororum.

## IN EUMDEM.

H1\_9 v.1 Vulgus esse suae domus ruinam  
 2 turbam praedicat et putat sororum.  
 3 Sed contra esse meae domus columnam,  
 4 inquis, confiteor gregem sororum.  
 5 Parvo tempore corruet domus, quae  
 6 illis, Aulice, nititur columnis.

## IN EUMDEM.

H1\_10 v.1 Dederunt tibi plus duae sorores,  
 2 dederunt tibi quam duo parentes.  
 3 Dederunt nisi plus duo parentes,  
 4 dederunt tibi quod duas sorores.

## AD JO. TRUCHIUM.

H1\_11 v.1 Qui Cinnam in coclea ostrei sepultum  
 2 narrat, non cocleas tibi ille vendit.  
 3 A Tuba tibi monte qui recurrunt,  
 4 ostendunt cocleas pares sepulchro,  
 5 monstrosi et faciunt fidem sepulchri.

## CINNAE RELEGATI, EPITAPHIUM.

H1\_12 v.1 Mortis o genus, o novum viator  
 2 et mirum pariter genus sepulchri,  
 3 non sit vel grave, vel tibi molestum,  
 4 priusquam hinc moveas pedem, videre.  
 5 Vidisse (hoc mihi crede) non nocebit.  
 6 Ergo rem accipe, sic habet. Gulosus  
 7 ovis ostrea Cinna cum relictis  
 8 morsu quattuor unico voraret,  
 9 illum strangulat ostreum ostreique

10 huic dat concha brevis, breve hoc sepulchrum.  
11 Vidit talia quis viator umquam ?

ALIUD.

H1\_13 v.1 Exsul non fuit exsul ille Cinna,  
2 mutatoque solo haud domum relinquit ;  
3 domum namque humeris suam suis fert,  
4 in qua secum habitat nec est sepultus,  
5 hunc forsitan nisi tu putes sepultum,  
6 altum qui in propria domo quiescit.

ALIUD.

H1\_14 v.1 Qui a monte altero in alterum est vocatus,  
2 mons fuit, nec homo, approbante dorso.  
3 In monte hoc jacet ergo qui sepultus,  
4 praeruptus, dubio procul, fuit mons.  
5 Quem tu, ni doleas perisse montem,  
6 non ferre hunc graviter perisse debes.

AD CALENUM.

H1\_15 v.1 Tam jentacula grata sunt, Calene,  
2 quam jejunia sunt tibi molesta ;  
3 et vinum tibi tam placet suave  
4 unda quam tibi displicet. Tamen te  
5 (si forte a Domino tuo rogeris)  
6 jentasse ipse negas, negas bibisse.  
7 Vel si rem Domino tuo fateris,  
8 quod numquam facis, aut facis repugnans,  
9 huic tantummodo te comesse dicis  
10 buccellam et medium bibisse vitrum.  
11 Ante, dic mihi, prandium vorasse  
12 pernae dimidium, duosque pullos,  
13 offas quotque capax tenet paropsis,  
14 integram atque meri amphoram bibisse,  
15 buccellam hocne vocas comesse solam, aut  
16 vix labris cyathum attigisse ? Cessa  
17 veris jam dare verba ficta rebus ;  
18 et dic, quod satis est edo biboque,  
19 vel plus quam satis est, hero Calene,  
20 cui sunt omnia quae facis probata,  
21 supra credere quam queas, placebis.  
22 Illud quod facis, an pudet fateri ?



## VULTEIUS DE SEIPSO.

H1\_16 v.1 Sint opes modicae ut mihi poetae,  
 2 pingo censibus has pares potentum ;  
 3 et sperno haec quibus ipse gloriatur  
 4 vulgus, omnia et interire credo,  
 5 demptis pectoris, ingeni bonisque.  
 6 Et quamvis caream domo paterna, et  
 7 sim longe a patrio solo remotus,  
 8 sit raptum quoque sorte, vel negatum,  
 9 quod mihi potuit rapi aut negari.  
 10 Attamen comitor fuvorque mente  
 11 sana, sors mihi quam nequit negare.

## AD AEGID. BOHERUM.

H1\_17 v.1 Ut corpus valeat fuit quod ante  
 2 durorum patiens satis laborum,  
 3 ex quo non video tuum, Bohere,  
 4 vultum, mens jacet aegra nec resumit  
 5 robur tempore, sed magis magisque  
 6 augetur dolor, et doloris ansa.  
 7 Nec ulla est medicina, mi Bohere,  
 8 quae lenire queat meae dolorem  
 9 mentis, ni videat tuum illa vultum.

## AD JO. DAMPETRUM.

H1\_18 v.1 Qui te inter numerat bonos Poetas  
 2 iudex iudice me est probus nec errat :  
 3 debes, Dampetre, in ordinem hunc referri.  
 4 Si quis iudicium illius meumque  
 5 suspectum velut improbet, locum ille  
 6 inter dans tibi sordidos inique  
 7 sentit, Dampetre, et est tui laboris  
 8 fur, me iudice, gloriaeque raptor.

## IN QUEMDAM INGRATUM.

H1\_19 v.1 Debes qui propriam tuis amicis  
 2 vitam, cur tibi neminem fuisse  
 3 talem qualis amicus esse amico  
 4 debet temporibus malis, ab iisque  
 5 dicis omnibus in tuo relictum  
 6 casu ? Dic mihi per caput redemptum,  
 7 per nuper tibi redditam salutem,  
 8 sic amicitiae, o scelus, tuorum  
 9 respondes ? Satis esse nonne credis

10 hoc factum modo singulari amori ?  
 11 Haecne est gratia quam referre par est ?  
 12 Hocne munere munus ipse pensas  
 13 acceptum ? Tibi nemo si vaganti  
 14 incerto pede et anxio adfuisset,  
 15 dic, o dic, ubi nunc miser jaceres ?  
 16 Effare o scelus asperis premendum  
 17 tormentis ? Canibus lupisque praeda  
 18 essent non tua membra ? Nonne Phoebus  
 19 mutaret faciem tuam ? Assideret  
 20 ales non capiti tuo Exquilina ?  
 21 Corvis vulturibusque non cadaver  
 22 gratus expositum foret cibus ? Non  
 23 saxis turba petens tua ossa, prorsus  
 24 aut contunderet ictibusve crebris  
 25 illa infringeret et superstites si  
 26 parentes tibi forte qui adfuissent,  
 27 dum spectacula talia exhiberes,  
 28 et jussas lueres, miselle, poenas,  
 29 exemplo miseri tui pagentis,  
 30 nonne illos oculi tui impudici  
 31 vicissent tibi proximos ? Crucisque  
 32 testes nonne tuae tui fuissent ?  
 33 Vivis ipse tamen, quid ? Immo regnas,  
 34 horum munere quos negas amicos,  
 35 et narras tibi defuisse in ipso  
 36 casu, qui tibi reddidere vitam.  
 37 Illos quid potes amplius rogare ?  
 38 Illos quid meliusque cariusque  
 39 ingrato dare tum tibi salute  
 40 optasses ? Tibi quid dedisse amicos  
 41 narro ? Decipior, nihil dederunt :  
 42 litteris etenim hanc dedere vitam.

IN EUMDEM.

H1\_20 v.1 Nulli jamque magis studes nocere  
 2 quam qui te studuit juvare semper.  
 3 Hoc est quod solet esse in ore vulgi,  
 4 huic tollas laqueum, crucem parabit ?

IN QUEMDAM IRRELIGIOSUM LUCIANI SECTATOREM.

H1\_21 v.1 In libris quoties meis loquor de  
 2 Christo, hoc sit quasi nomen haud receptus  
 3 rides, displiceo auribus tuisque ;  
 4 dicis nec Latio fuisse in ore  
 5 nomen, nomine quo beatius non  
 6 ullum est. Simia quaeso Luciani

7 gentis opprobrium luesque saeculi  
 8 tete respice, tam putas ineptum  
 9 me, quin concipiam velis quid ipse ?  
 10 Humano generi esse restitutam  
 11 Christi munere quod negas salutem,  
 12 nec sufferre potes meum poema  
 13 quod Christum loquitur, canit, fatetur.  
 14 Ad te quaeso redi, dare haud retrorsum  
 15 vela vel grave vel fuit molestum,  
 16 cursus atque iterare derelictos  
 17 Flacco, qui fuerat tamen Poeta  
 18 parcus cultor et infrequens deorum.  
 19 Tandem est ille Jovem esse qui ima summis  
 20 posset vertere, fassus et dolenter  
 21 tulit se esse Epicurios secutum et  
 22 porcum de grege sordido fuisse.  
 23 Nec te bellua caeca paenitebit,  
 24 in caelo esse deum optimum negasse,  
 25 qui natum voluit suum mori, ne  
 26 humanum misere genus periret ?  
 27 Vah, adhuc dubitas scelus parentum  
 28 tractum mortifero asperoque morsu  
 29 esse victima amabili expiatum ?  
 30 Qua non purior ulla cariorque  
 31 aut erat, poterat vel esse ? Summus  
 32 ni major Jove Juppiter putetur ?  
 33 Iram, iudicium, minas, flagellum,  
 34 irrides superos Dei regentis ?  
 35 Clarum non fore nomen esse credis  
 36 per fastos memores in omne tempus  
 37 hoc facto egregio ? Putas ob hanc rem,  
 38 quod virtute nequis, malo parare ?  
 39 O cave, o cave, dum licet, fatere  
 40 de culpa, veniam tui impetrabis  
 41 delicti, ex animo modo hanc requiras  
 42 Christum. Ad Christum igitur miser recurre,  
 43 Christum tandem aliquando confitere,  
 44 qui te perdere, qui beare possit.  
 45 Hac in re tibi sim Sibylla, et in re hac  
 46 dicto sis precor audiens : volens tu  
 47 hoc si non facias, brevi peristi,  
 48 actum est, heu miser, ah miser peristi.

## AD SALMON. MACRINUM.

H1\_22 v.1 Musae musa tuae mea illud ipsum  
 2 debet, filia quod, Macrine, matri.  
 3 Paret filius ut suo parenti,  
 4 sic parere tibi expeto. Quid ultra ?  
 5 Tecum vivere amo, atque obire tecum.

6 Si parcent animae superstiti Di,  
 7 pro te bis patiar mori ; nec illo  
 8 solum nomine, quod meum poema  
 9 crasse compositum ac parum beate  
 10 commissum fidei tuae, parentis  
 11 functus officio optimi, ipse ad unguem  
 12 tersisti, sed et hac, Macrine, causa.  
 13 Quod cum feceris, id negas tibi a me  
 14 deberi, dare quo minus queo nil.  
 15 Quis non debitor esse creditoris  
 16 hujus gaudeat, et velit ? Licet sint  
 17 qui id vertant vitio mihi, profecto  
 18 tali gloriator ipse creditore,  
 19 tantum abest id ut abnegem, Macrine,  
 20 vel me dissimulem esse debitorem.

AD AEGID. BOHERUM.

H1\_23 v.1 Dum quaeris quid agat tuus poeta,  
 2 quaero tunc ubi sit meus patronus ;  
 3 dum posco an valeat meus patronus,  
 4 poscis an bene sit tuo poetae.  
 5 At si non procul esset a patrono  
 6 vates, non opus esset id rogare.  
 7 Scires quid faceret tuus poeta,  
 8 scirem quidque ageret meus patronus.

AD EUMDEM.

H1\_24 v.1 Quid scribat, meditetur atque cantet,  
 2 quantum qualeque carmen elaborat,  
 3 absens ille tuus poeta nescis ?  
 4 Scribit scribere quod solent quibus mens  
 5 languescit, manus et dolore fracta est :  
 6 cantat quod patre mortuo puellus,  
 7 Maecenate carens quod et poeta.

VULTEIUS DE SE, VENERE ET CUPIDINE.

H1\_25 v.1 Telum perdidit in me Amor, quod infans  
 2 misit. Dein graviter dolere coepit.  
 3 Scivit hoc Venus atque corde ab imo  
 4 tot suspiria traxit, ut suum ignem  
 5 extinctum lacrimis suis videret.  
 6 Quo queri acrius ambo sunt coacti.  
 7 Namque igne haec spoliata et ille telo est.  
 8 Quibus sic ego. Ne gemas, Venus, sed  
 9 in me accende facem tuasque flammis.

10 Ignem restituet tibi meum cor.  
 11 Et tu cessa, Amor, ad meaeque pergas  
 12 ocellos dominae, alteras sagittas  
 13 reddant. Sed moniti cavete posthac.

AD AEGID. BOHERUM.

H1\_26 v.1 Rari quod digitis modi meis nunc  
 2 ducantur, mea Musa, quodque carmen  
 3 vena pauperiore personet, ne  
 4 mirere, impetus esse qui solebat  
 5 in me, pectora qui excitat bonorum  
 6 vatum, desiit excitare Musam.  
 7 Et quod concipio canove triste est.  
 8 Priscus fac redeat favor meumque  
 9 fac reddas genium, ut prius sonabo.

AD CRISPAM. EX VERNACULE.

H1\_27 v.1 Rara tam bene gratia es referta ut  
 2 non visam te ego coeperim ipse amare.  
 3 Solam occasio summa te videndi  
 4 poenam auxit, mihi crede, non amorem.  
 5 Si te forte amet alter, ille casu  
 6 amat. Verum ego te unam amo jubente  
 7 natura. Deus ipse utri favebis  
 8 scit. Uter melius colet, scio ipse.

CRISPA RESPONDET.

H1\_28 v.1 Non me tam puto gratia refertam, ut  
 2 vel non visa queam placere cuicumque,  
 3 consuetudine nec mea ipsa sensi  
 4 poenam crescere posse non amorem.  
 5 Si quisquam me amet ergo, casu amat me.  
 6 Natura haud scio si me ames, sed artem  
 7 cum sciam melius sciet qui amandi,  
 8 quem plus tunc ego diligam, docebo.

AD JANAM.

H1\_29 v.1 Cum cor sentio tam tuum pudicum,  
 2 ut nil castius esse, Jana, posset,  
 3 prae multo nequeo hoc amare amore.

## DIONYSII BRICONETI MACLO. EPISC. EPITAPHIUM.

H1\_30 v.1 Hic corpus Dionysii quiescit  
 2 Christi gratia episcopi, fuit qui  
 3 et gentis decus et nitor gregisque  
 4 pastor non populator, ac beatae  
 5 vitae captus amore singulari.  
 6 Hujus quid dubitem in polo esse mentem,  
 7 qui in caelum meruit volare totus ?

## IN BRISSAM.

H1\_31 v.1 Hirsuto tibi, Brissa, cum bubulco,  
 2 nervoso tibi cumque Mulione,  
 3 foedo cum stabulario et tibi est res.  
 4 Solos te tamen attigisse reges  
 5 juras. Cum tot erunt in orbe reges  
 6 quot sunt et stabularii et bubulci,  
 7 quot sunt denique Brissa muliones,  
 8 solas tunc ego mentulas fricasse  
 9 regum te, mihi crede, non necabo,  
 10 Brissa, hanc nec tibi gloriam invidebo.

## AD CHOMARDUM.

H1\_32 v.1 "Vultei, nimis es Poeta", dicis.  
 2 Erras, non satis ipse sum poeta,  
 3 et vocem hanc mihi commodas patronam.  
 4 Vocem, inquam, nimium poetae amicam.  
 5 Cessa dicere me nimis poetam,  
 6 ne, Chomarde, vocem nimis te amicam.

## AD GERM. AUDEBERTUM.

H1\_33 v.1 Quid nostri capiant canantque libri,  
 2 me, Germane, cupis tibi explicare.  
 3 Paucis accipe, temporum meorum  
 4 mores laudo bonos, malos reprobos.  
 5 Parco nominibus tamen malorum.  
 6 Habes quid capiant canantque libri.

## AD EUMDEM.

H1\_34 v.1 Plures novi ego comparare amicos,  
 2 paucos novi ego sed probare amicos.

## IN MALUM POETAM.

H1\_35 v.1 Non dici, fateor, poeta debet  
 2 doctum scribere qui poema nescit ;  
 3 nec dici meruit bonus poeta,  
 4 laudat carmine qui malos poetas.  
 5 Quare te esse malum fatere vatem,  
 6 tunc me dicere desinam poetam.

## DE SE ET UTROQUE PARENTE.

H1\_36 v.1 Me portum et requiem suae senectae  
 2 dicebat pater esse, me putabat  
 3 et mater baculum sui trementis  
 4 aevi. Tempus at hoc videre tempus,  
 5 eheu, non licuit mihi, nec illis.

## AD TORTONIUM.

H1\_37 v.1 Ut possim, tibi non volo nocere,  
 2 sed vis ut nequeas mihi : videsne  
 3 quam sim dissimilis tibi ? Fatere.

## DE LEGIO.

H1\_38 v.1 Is qui pectine buxio capillis  
 2 pectit Legius aureo redemptos  
 3 numo. Nonne sua optima fovere  
 4 debet, cum quae aliena sunt adornet  
 5 et summo studio colatque ametque ?

## IN EUM QUI BELNENSI VIVO EPITAPHIUM SCRIPSIT.

H1\_39 v.1 Belnensis jacet hac, viator, urna  
 2 dixisti, ut faceres ei satis, qui  
 3 urnam jam sibi coctilem pararat,  
 4 tecta marmore quae fuisset ; at tu  
 5 mentitus tamen es, sua ille falsus  
 6 spe. Mortis genus et te et hunc rescisse  
 7 priusquam sibi praepararet urnam,  
 8 et mortem caneres fuit necesse.  
 9 Nam lusisse operam vides utrumque.

## IN BELTIUM.

H1\_40 v.1 Jussas lingua dedit recisa poenas,

2        esset quod nimiae loquacitatis.  
 3        At quod dicere lingua scissa nescit,  
 4        scribis. Dexteram ne cadat caveto,  
 5        quae linguae officium obtinet recisae.

AD PALMASSIAM.

H1\_41    v.1        Quod caecus videat nihil Cupido  
           2        ne mirere, oculum tibi ille utrumque  
           3        concessit, quibus excitas amantes.

DE PALMASSIA FLENTE.

H1\_42    v.1        Non picam, merulamque psittacumque  
           2        flet Palmassia passeremve, nec flet  
           3        quam gestat gremio catellulam, sed  
           4        extinctum juvenem tenellulum flet,  
           5        cujus mentula solum erat pedalis  
           6        et testes dubio procul bilibres.  
           7        O pias lacrimas piosque fletus,  
           8        deflet delicias suas puella.

AD FULVIAM.

H1\_43    v.1        Albae cum tibi sint manus puella,  
           2        vultus siderei, aurei coloris  
           3        crines, lactea colla, forma qualis  
           4        nullo tempore vel fuit, vel esse  
           5        possit, sitque pudor prior pudore  
           6        casta Penelopes, quid est quod omnes  
           7        caudae te fugiant velut Charybdim ?  
           8        Causae quid rear, o puella, dicam ?  
           9        Fama est te placido carere cunno,  
           10        illis quo sine non potes placere.

AD VERACIUM.

H1\_44    v.1        Si ridere voles, tibi paravi  
           2        risus materiam. Dolere si vis,  
           3        auctus sufficiam graves. Venito.

IN ZOILUM.

H1\_45    v.1        Cur te non timeamque diligamque,  
           2        jam non dissimulabo nec tacebo :  
           3        non augere potes meum favore



4 nomen, laedere nec tuo labore

IN AULICUM POETAM INEPTISS. ET IMPUDENTISS.

H1\_46 v.1 In turba quoties vel hac vel illa es,  
 2 semper pessimus e sinu libellus  
 3 plenus carminibus tuis ineptis  
 4 pendet, vel manibus teris poema  
 5 indoctum, atque oculos in hunc, in illum  
 6 vertis, auriculam arrigens utramque,  
 7 tamquam id non faciensque cogitansque,  
 8 exspectans quoque num tuum libellum  
 9 tete nemo roget levesque nugae.  
 10 Quod si forte aliquis petat, statim tu  
 11 finges te dare nolle, et hunc vel una  
 12 indignum fore lectione dices,  
 13 ut desiderium augeas petentis ;  
 14 qui postquam precibus poema multis  
 15 extorsit, cito nauseam parans, sic  
 16 exclamat : mihi dixeras poeta  
 17 verum. Lectio prima me fatigat.

IN FRANC. REGIS SIMIUM.

H1\_47 v.1 Jurat nobilium fidem tuus Rex,  
 2 nobilissimus omnium ille Regum,  
 3 juras nobilium fidem. Sagum Rex  
 4 gestat purpureo colore tinctum,  
 5 gestas purpureo sagum colore.  
 6 Regi barba placet caputque tonsum,  
 7 barbam alis, reseca tuosque crines.  
 8 Telo figit apros, aprum ipse figis.  
 9 Cervos sollicitat, facis quod ille.  
 10 Iisque nominibus placere Regi  
 11 credis nobilium optimo, optimorum  
 12 nobilissimo, et aulicus videri.  
 13 Multum deciperisque fallerisque.  
 14 Rex non vult sibi simios in hac re.

IN EUMDEM.

H1\_48 v.1 Tantum ignobilis es, rudisque tantum,  
 2 quantum nobilis elegansque Rex est.  
 3 Illi dic mihi qui placere possis,  
 4 ni quod displiceas placere possis ?

## AD CASTREUM.

H1\_49 v.1 Iratum sibi te videns dolensque  
 2 sors, quod illa tibi ultimis diebus  
 3 vinum Galliacum negasset, inquit,  
 4 tristes pone tuos, sinasque vultus.  
 5 Culpam confiteorque corrigamque.  
 6 Falsum nec tibi praedicavit haec, nam  
 7 qui tantummodo prandio hoc putabas  
 8 vesci piscibus et cibis molestis,  
 9 esum sors tibi carnum paravit,  
 10 et quae sustulerat merum suave,  
 11 pisces sustulit et tibi insuaves,  
 12 irato tibi non sat illa fecit ?

## IN QUEMDAM LUDIMAG.

H1\_50 v.1 Friget quod tua lectio, o magister  
 2 ludi, discipuli tui quod omnes  
 3 frigent, tu medio geris Decembre  
 4 attritam, laceram, et brevem lacernam,  
 5 et quam de scapulis levis vel aura  
 6 posset tollere, si scholam relinquis.

## IN PICTAVIAM ANUM AULICAM.

H1\_51 v.1 Fle, Malpassia, passerem tuum fle,  
 2 plorate hunc simul, Aulicae puellae,  
 3 Cadurcus, memini, poeta dixit.  
 4 Sed cum vix tibi dentium supersit  
 5 fragmentum, inque tuis genis, quiete  
 6 pulex nidificet, quid ipsa ploras ?  
 7 Fles quid, dic mihi, passerem puellae ?  
 8 Flere ut jusserit aulicas puellas,  
 9 non dixit tibi, nam puella non es.

## IN EAMDEM.

H1\_52 v.1 Empto quae faciem colore pingis,  
 2 quae ornas dentibus os tuum paratis,  
 3 quae caelas capitis nives, redempto  
 4 crine, ut te juvenes sequantur, ipsa  
 5 stulta es, non trahit esca ficta praedam.  
 6 Emas, consilium secuta nostrum,  
 7 cunnum, vel minimo annulo minorem,  
 8 ne vivam, nisi quos voles habebis.

## AD MARGARITAM VALESIAM REGINAM NAVARRAE.

H1\_53 v.1 Non me inertia mollis aut voluptas,  
 2 reddendo a speculo tuo, in Latinos  
 3 e lingua patria modos, poema  
 4 promissum tibi, jamdiu inchoatum,  
 5 o Regina potens vocat, nec ipse  
 6 deterret labor improbus, vetat sors,  
 7 ah sors invida, et impedit, paro dum  
 8 finem ducere ad usque opus, mihi quod  
 9 non est deserere integrum, ut prius mi  
 10 hoc promittere liberum fuit ; si  
 11 hanc longe capite a meo repellas,  
 12 ex Gallo pede ni in pedem Latinum  
 13 deductum videas opus tuum, me  
 14 pigrum et plus satis esse negligentem  
 15 dicas. Non potero negare culpam.

## AD CAMBRAEIUM.

H1\_54 v.1 Conscissam quod epistolam doles, quam  
 2 nuntio dederas mihi adferendam,  
 3 non est quod doleas, domi illa salva est.  
 4 Quam tu, si dubites, petas : remittam.

## AD PANTAL. PIUM.

H1\_55 v.1 Haec est gloria Britonum, ii triumphi,  
 2 multo reddere cum mero sepultum  
 3 convivam datur, ebrium ac videre,  
 4 si quemquam socium ad dapes vocarint.  
 5 Vel gratos fore se putant amicos,  
 6 una si tibi centies propinent  
 7 cena, et post calices statim vomant, quod  
 8 hauserunt. Genus hoc probas triumphi ?  
 9 Ais "Non ita" : gloriam hanc nec ipse.

## AD EUMDEM IN EODEM.

H1\_56 v.1 Britonum, Pie, quos quidem frequentas,  
 2 vincit ebria sobriamne partem ?  
 3 Respondes : "Memini male, aut videre  
 4 me numquam memini vel hunc, vel illum,  
 5 qui post pocula sobrius foret." Ne  
 6 jures, quod loqueris scio esse verum ;  
 7 nam quem tu mage sobrium putabis,  
 8 illi non fuerit satis lagoena,  
 9 quam siccare decem nequis diebus.

## DE EISDEM.

H1\_57 v.1 Brito tam pretiosa vina credit,  
2 ut ventrem faciat cadum amphoramque.

## DE ARBORE FRANC. BOHERO EPI. MACL. ERECTA.

H1\_58 v.1 Hanc, Francisce, tibi arborem Calendis  
2 Maii omnes famuli erigunt dicantque,  
3 hac sed condicione ut hanc paremve  
4 post annos videas eo ipse vultu  
5 centum, quo famuli tui vident te. (vers lacuneux)  
6 "Haec lex nonne placet ? "Quid, inquis, <contra> ?".  
7 Hanc signo, o famuli, approboque legem."

## IN QUEMDAM LUDIMAG.

H1\_59 v.1 Festis atque aliis diebus, una  
2 aestate atque hieme est satis lacerna,  
3 non solum tibi sed tribus, quibus tu  
4 communem facis. Heus, bone o magister,  
5 vobis quattuor est simul docendum.  
6 Tres nudi doceant, vel est necesse, aut  
7 partem quisque suam gerat lacernae.

## AD CLAUDIAM PUELLAM.

H1\_60 v.1 Misisti mihi psittacum, huncque mutum ;  
2 picam sed tibi garrulam remitto,  
3 quam tu, ni videas, avem negabis.

## AD DIONYS. LERINENS.

H1\_61 v.1 Phaleucos tibi mitto cum phaleucis,  
2 doctos illepidis, malos disertis :  
3 id est, carmine cum meo invenusto,  
4 tersum carmen et arte perpolitum  
5 Dampetri egregii probique vatis.  
6 Cujus si ipse legas poema, nostro  
7 hoc sane meliusque doctiusque,  
8 nobis quo meliorque doctiorque est  
9 Dampetrus tuus, immo noster, istud  
10 dices, vel mea opinione fallor.  
11 Quantum carmine carmen hoc ab illo  
12 distat, quam minime ii pares poetae.

13 Quod si tu male compares phaleucis  
 14 Dampetri, hendecasyllabos amici  
 15 Vulteii, magis ipse amore ductus,  
 16 quam ullo iudicio facis, pusilla  
 17 audeas nisi comparare summis.  
 18 Ut ut res cadat, excipe hos phaleucos,  
 19 quos mittant licet impares poetae :  
 20 non mittunt tamen impares amici.

## AD ANTON. MOLINIUM.

H1\_62 v.1 Uno munere res duas dedisti,  
 2 summas, magnificas et elegantes.  
 3 In membrana opus omne Mantuani  
 4 vatis. Illius et numisma in aere.  
 5 Quo me munere tam tibi obligatum  
 6 credo quam Latium suo est Poetae.  
 7 Et debere tibi puto ipse tantum,  
 8 quantum Phryx tibi, Caesar ille debet,  
 9 qui carmen sinis haud mori Maronis,  
 10 quod secum moriens mori volebat.

## AD JANAM PUELLAM.

H1\_63 v.1 Ut te non potuit Cupido flammis  
 2 saevis urere, passerem ipse aduram  
 3 dixit : passere namque diminuto,  
 4 quem plus luminibus colit suis, tunc  
 5 Jana fletibus obruet suis se.  
 6 Nonne est cautus Amor puella, nonne est ?  
 7 Qui dum te urere non potest, aqua te  
 8 ut mergas, rapido igne passerem urit.

## AD EAMDEM.

H1\_64 v.1 Jure fles tibi passerem esse ademptum,  
 2 nam causa periit tua, nec ipsa  
 3 posses reddere passeri dedit quod,  
 4 pro illo ne pereas, ut ille pro te.

## AD TRUCHIUM, DE USU CALAMI.

H1\_65 v.1 Si nullus calami fuisset usus,  
 2 omnes iudicio tuo perissent  
 3 artes, id tibi non fatebor ; at si  
 4 contra non calami fuisset usus,  
 5 plures iudicio meo fuissent

6 artes artificum peritiorum.  
 7 Viden' quam celebri viro repugnet  
 8 Truchi iudicium poetae inepti  
 9 audacter ? Tibi tu imputato culpam,  
 10 si falsus fueris ; meam fatebor,  
 11 testatam et faciam palam ipse, falsum  
 12 certa me ratione cum docebis.

## AD SALM. MACRINUM.

H1\_66 v.1 Si sit hoc homini datum a parente  
 2 natura, ut petulans senum iuventus  
 3 doctrina eximia et proba regatur,  
 4 si emendare pater solet puelli  
 5 mores, discipuli sui magister,  
 6 quid est cur tibi nunc, Macrine vates,  
 7 vatam gloria prima Gallicorum,  
 8 quem carum veneror velut parentem,  
 9 quem doctum ipse colo velut magistrum,  
 10 irascar, doleamque me reprimi  
 11 a te ? Num mea scripta quod benigne  
 12 castigas, reseca levesque nugas,  
 13 olim quae puero mihi exciderunt,  
 14 scribendi studio et calore multo  
 15 incenso ? Tua quas manus lituras  
 16 nostro in carmine fecit, has placere  
 17 nobis non secus aestimes velim, quam  
 18 versus quos tua lima non momordit.  
 19 Nosti si bene me, ut, Macrine, nosti,  
 20 verum quod loquor esse non negabis.  
 21 Quis culpet mea scripta, si probaris ?

## AD ANT. FRANC. GUL. AEGID. BOHEROS.

H1\_67 v.1 Si quis nobilium hactenus quadrigam  
 2 fratrum post sua posteris reliquit  
 3 fata, sanguine nobili creatos  
 4 aeternare suum studens genus, vos  
 5 fratres quattuor, optimos, suaves,  
 6 concordēs, pater optimus reliquit  
 7 clarae tempora post peracta vitae.  
 8 In una quoque quattuor quadriga,  
 9 haeret quae mage ceteris quadrigis,  
 10 sic vos nexuit, atque copulavit,  
 11 sancto et foedere mentium obligavit,  
 12 ut si quis studeat nocere vobis,  
 13 infelix operam, suum et laborem,  
 14 perdat ; efficiat nec ille plus quam  
 15 castrum evertere si velit pede uno.

16 Ergo, quattuor o pii Boheri,  
 17 Arverno suboles beata ab ortu,  
 18 vos sic, ut pater antea coegit  
 19 in unam eximiam et sacram quadrigam,  
 20 in hac vivite semper et manete.  
 21 Nullo turbine fluctibusque nullis  
 22 umquam corruet, at suum ipsa Regem,  
 23 aurigamque Deum optimum sequetur.

JO. PINI RIVOR. EPISCOPI, EPITAPHIUM.

H1\_68 v.1 Cum Pinus, media Tolosa in urbe,  
 2 sumptu non sine maximo, superbas  
 3 aedes exstrueret novem Deabus,  
 4 et Phoebo, et cerebro Jovis creatae,  
 5 summus Juppiter hoc videns timensque  
 6 ne, si principio esset ipse finis  
 7 par tam clari operis, novem deae, cum  
 8 Phoebo, et Pallade ceterisque divis,  
 9 captae nobilium aedium nitore, ac  
 10 permotae novitate, de repente  
 11 dimisso Jove patre convolarent  
 12 in has, desererent polumque, solus  
 13 et ne tunc vacua maneret aula,  
 14 infectam Dominum domum coegit  
 15 statim relinquere, regiaequae Pinum  
 16 consortem voluit suae nec abs re  
 17 certe, nam sibi maluit parem, quam  
 18 jacturam facere ex suis tam acerbam.

STELLAE AURELII EPITAPHIUM.

H1\_69 v.1 Lucem legibus ut darem, reliqui  
 2 caelum. Reddita lux meo labore est.  
 3 Feci quod volui. Ad locum recurro,  
 4 a quo me poterit vocare nemo.

DE TOLOSA.

H1\_70 v.1 Dixi Piniferam prius Tolosam,  
 2 at nunc spiniferam vocare cogor,  
 3 Pino Pontifice, o dolor, sepulto.

DE PINO ET MINUTIO.

H1\_71 v.1 Duplex dii dederant Tolosa lumen,  
 2 ut, pulsus tenebris, diem videres.

3 Sprevisi tamen ipsa utrumque lumen.  
4 Quid quod nunc careas utroque mirum ?

## AD JOACH. PERIONIUM

H1\_72 v.1 Si quemquam voluit probare Erasmus  
2 insulsum, stolidum, impudentem, ineptum  
3 obscurum insuper et tenebricosum,  
4 hunc dixit Monachum. Bene ille certe. At  
5 tres aut quattuor hoc in orbe sunt, qui  
6 mendacem faciunt probantque Erasmus,  
7 quorum nomina clariora luce.  
8 Nostin Cortesiumque Dampetrumque ?  
9 Cognostin Dionysium, tacebo  
10 te, nostin Pyladen Salinacumque ?  
11 Ii sunt ii Monachi, pii, periti,  
12 passim jam celebres viri, qui Erasmus  
13 (detractum volo jam nihil sepulto)  
14 mendacem faciunt probantque vanum.  
15 At non in genere est, puto, locutus.

## IN ZOILUM.

H1\_73 v.1 Nostro in carmine non legis Catones,  
2 non Crispos Mariosve Caesaresve,  
3 Pompeios Fabiosve Curtiosve,  
4 Faustinas, Glyceras Lucretiasque,  
5 Marcellas Lalagasque Gelliasque ;  
6 in versu Cleopatra nulla nostro,  
7 Thais, Cynthia, Lesbia, aut Lycoris,  
8 aut Cerellia vel Ligella, verum  
9 paulos ipse legis, legis Philippos,  
10 Scaevas candidulos, Besardum amicum,  
11 Dampetros mihi Brixiosque caros,  
12 Macrinum numeros meos amantem,  
13 Chomardum facilemque amabilemque,  
14 Fontanas legis, et legis Genistas,  
15 Colinas simul et simul Perottas,  
16 Janas denique Cliniasque. Quid tum ?  
17 Propter nomina Gallicana, nostrum  
18 rides num quasi barbarum poema ?  
19 Haec est, Zoile, stulta causa risus.  
20 Doctas nomina non probant Camenas.

## AD JO. DAMPETRUM.

H1\_74 v.1 Non tuam invideo tibi cucullam,  
2 sed nec taedia caerimoniarum,



3 nec quem virginibus capis laborem  
4 formandis : tibi gratiam in phaleucis,  
5 Dampetre, invideo tuam canendis.

## AD ZOILUM.

H1\_75 v.1 Dignum nomine me negas Poetae.  
2 Furis te meruisse dico nomen.  
3 Vatum me scio temporum meorum  
4 esse vel minimum omnium, nec ipse  
5 quicquam dissimulo, aut in hoc laboro,  
6 dicar maximus ut poeta ; sed tu  
7 cum sis maximus omnium ipse furum,  
8 furum, Zoile, temporum tuorum,  
9 studes vel minimus, quid ? Immo non fur  
10 dici : me arguere hoc sene esse quod sum,  
11 vel non esse quod es probare perge.  
12 Rides ? Somnia tempus edocebit.

## AD GERM. BRIXIUM.

H1\_76 v.1 Brixi, nobilium poeta vatum  
2 nobilissime, qui domi obsequentes  
3 wter tres solus habes deas, soluto  
4 nectar Castalium ore qui bibisti,  
5 qui firmo pede culmen attigisti  
6 montis virgineo choro dicati.  
7 Istum per genium tuum, per istam  
8 quam recte a puero viam es secutus,  
9 a Phoebos tibi per lyram relictam,  
10 sacrum denique per tuum in poesim  
11 castum, perpetuum piumpque amorem,  
12 dic quo tramite, quaeso, quo labore,  
13 ad tantum juveni mihi est eundum  
14 collem, qui recipit nihil profanum,  
15 ut imis ego vallibus relictis,  
16 per vestigia, per tuos gradusque,  
17 pedem ducere dextrum in alta possim  
18 montis culmina et altius vagari.  
19 Duc me ad limpidulum sacrumque fontem  
20 ardentem ut valeam sitim levare  
21 puris haustibus, urnula liquore  
22 plena, languidulam irrigare mentem  
23 fac per te liceat mihi, latente  
24 quae jam percita, ni bibat, furore est.  
25 Duc me ad floridulum nemus virensque  
26 ex lauro legere ut queam corollam ;  
27 aut si decidat ex novem sororum  
28 serto flos minimus, manu ipse prompta

29 illum ipsum arripiam, et meo repente  
 30 arreptum, capiti annuente Phoebō  
 31 aptem. Te duce non viam timebo  
 32 altam, te duce devia haud verebor,  
 33 Brixi nobilium poeta vatū  
 34 nobilissime ducere an recusas  
 35 toto pectore te sequi paratum ?

AD DIONYSIUM LERINENSEM.

H1\_77 v.1 Non nos impia vita, non voluptas  
 2 caeca, non scelus improbum ligavit :  
 3 hanc amicitiam creavit usus  
 4 jucundus, faciles pique mores,  
 5 et par ingenium paresque sensus  
 6 junxerunt, Pyladi ut suo est Orestes  
 7 nexu perpetuo atque sempiterno.  
 8 Hocque foedere copulavit ambos  
 9 virtus splendida ; ut esse nulla causa  
 10 possit, quae innocuum istum et aequum amorem,  
 11 et laudabilem et istum honestum amoris  
 12 nodum, ulla ratione frangat, aut hunc  
 13 dissolvat ; sed adhuc manebit ipsa,  
 14 erunt omnia morte cum soluta.  
 15 Post fata aetherei Jovis videbit  
 16 aulam, concilia et sciet deorum  
 17 immortalium et omnibus placebit,  
 18 praesertim Domino Deoque nostro.  
 19 Vitae perniciem tuae timebo.  
 20 Vitae perniciem meae timebis.  
 21 Nil te carius ipse possidebo.  
 22 Nil me carius ipse possidebis.  
 23 Votum ultro faciam tuae salutis.  
 24 Votum ultro facies meae salutis.  
 25 Aeternam tibi fixus in medullis  
 26 vivam perpetua fide probata.  
 27 Aeternam mihi fixus in medullis  
 28 vives, pacta fides nec interibit.  
 29 Ero maxima pars tui doloris.  
 30 Eris maxima pars mei doloris.  
 31 Divos ut faveant tibi rogabo.  
 32 Divos ut faveant mihi rogabis.  
 33 Si quos ipse feram feres labores.  
 34 Si quos ipse feres feram labores.  
 35 Tecum, quicquid ages, agam paratus.  
 36 Mecum, quicquid agam, et tu ages paratus.  
 37 Gratum nil sine te mihi futurum.  
 38 Gratum nil sine me tibi futurum.  
 39 Tecum triste mihi nihil putabo.  
 40 Mecum triste tibi nihil putabis.

41 Quamvis perferat advenam remota  
 42 casu terra, vel ultimos Britannos  
 43 detur visere, vel Getas, vel Indos.  
 44 Ultra Sauromatas vel inquietam,  
 45 vel ultra Oceanum periculosam  
 46 vitam vivere cogar exsul. Ipse  
 47 praesens qui fueras, eris mihi absens,  
 48 aversum abs te animum meum haud videbis.  
 49 Erit mens eadem duobus, ipsis  
 50 votis convenientibus, nec ullum  
 51 saeculum diminuet duos amicos,  
 52 corpus diminueat licet duorum :  
 53 sed ambo simul in polum evolabunt,  
 54 quos non impia vita, non voluptas  
 55 caeca, non scelus improbum, sed una  
 56 virtus, tempus in omne copulavit.

IN LUPAS VIRGINITATEM MENTIENTES.

H1\_78 v.1 Ne vestra scabie inquinentur agnae  
 2 castae, candidulae, piae, pudicae,  
 3 omni crimine sordido carentes.  
 4 Migrate, o furiae, o lupae, o chimaerae,  
 5 migrate hinc procul, o procul profanae  
 6 pestes, pestibus aut nocentiores.  
 7 Naevone minimo quidem notatas  
 8 atro tingere non pudet veneno ?  
 9 Num corrumpere vos juvenularum  
 10 et mores decet et licet pudorem ?  
 11 Per vestigia et ambulare gressus  
 12 vestros, cogere num datum est puellas  
 13 blandas, dulciculas et integellas,  
 14 hasque a dulcibus avocare chartis ?  
 15 Chorum virgineum et sodalitatem  
 16 a recti, atque ab amore veritatis  
 17 bonarum studio artium capacem  
 18 est abducere num pium, putandum ?  
 19 Plus est, plus satis esse vos sopori,  
 20 ventri, ignaviae, inertiae, dolisque,  
 21 scortillis mage deditas, salutis  
 22 vestrae et immemores Deum ac Dearum.  
 23 Turbam virgineam tenellulamque,  
 24 formosam, docilem, sacram, politam,  
 25 ignaram scelerum, pudici amoris  
 26 plenam (quod facitis tamen) chimaerae,  
 27 vobis perdere perditis negatum est.  
 28 Fornix vos manet, hinc abite, pestes  
 29 insignes procul hinc abite, foedum  
 30 templi vos manet et loco lupanar.  
 31 Migrate hinc, furiae, hinc procul, chimaerae.

32 Cur non fulmine, Christe, nunc voraci  
 33 portenta haec minuis ? Deus, quid, o quid  
 34 spirare has scelerum sinis magistras,  
 35 quae numquam studii pii atque honesti  
 36 attigere pilum ut libet minutum ?  
 37 Illam evellere et amovere pestem,  
 38 mentes quae teneras puellularum  
 39 paulatim inficit, o Deus benigne,  
 40 ni pergas, cito grex peribit. Et quod  
 41 intactum fuerat, brevi impudicae,  
 42 audaces, rabidae, truces, superbae,  
 43 modis omnibus inquinare pergant.  
 44 Jamjam de grege separentur ipsae  
 45 pollutae pecudes proculque ab agnis  
 46 vivant, ne noceant bonis malae ; nam  
 47 viles semper erunt lupae lupae, atque  
 48 semper simia simia est, quod aiunt.

IN MOROSUM AMICUM.

H1\_79 v.1 Ingratissimus oro cur tibi nunc  
 2 sum, gratissimus esse qui solebam  
 3 olim, et optimus intimusque amicus.  
 4 Causam nescio, dic rogo roganti.  
 5 Quod praestare potest amico amicus,  
 6 nonne praestiti, et id quidem libenter ?  
 7 Quid quaeris faciam ultra et ipse donem ?  
 8 Exspectas tibi porrigam matellam ?

IN QUEMDAM HERUM AQUITANUM.

H1\_80 v.1 Ingratissime, non dolet mihi te  
 2 sumptos nomine tot tuo labores  
 3 nullo munere praemioque nullo  
 4 vel pensare, vel hos remunerari.  
 5 Verum me male habet, nec id quidem abs re,  
 6 non agnoscere te tui poetae  
 7 Musam. O ridiculum virum, o ineptum,  
 8 o plane immemorem sui ac suorum.  
 9 Me servisse tibi negas ? Meum tu  
 10 nulla in re officium hactenus fuisse  
 11 expertum, omnibus atque ubique dicis ?  
 12 Numquid te pudet esse tam impudentem,  
 13 ingratisime ? Gnaviter pudoris  
 14 fines transiliisse, non putares  
 15 omni crimine turpius, fovere  
 16 labem ingrati animi esse nec virile,  
 17 in te si ratio esset ac probatae  
 18 virtutis studium frequensque cura ?

19 Sed frustra loquor et queror, mea ipse  
 20 verba ac tempora perdo ; nam ferendum est,  
 21 et si quid patior mihi imputandum,  
 22 malum quod tolero, mihi hoc cacavi.  
 23 Mentis simplicitas meae tuaeque  
 24 frontis calliditas semel fefellit.  
 25 Doctus fraude tua, et meo periculo,  
 26 a te imposterum et omnibus cavebo.

IN EUMDEM.

H1\_81 v.1 Te dicis Dominum mihi, tibi me  
 2 servum, et nomine gloriaris uno,  
 3 quod tu servum habeas domi poetam ;  
 4 mercedem tamen abnegas poetae,  
 5 et debere mihi mei laboris  
 6 fructum cum peto, non juvat fateri.  
 7 Num tete pudet hos habere mores  
 8 indignos olido, et rudi subulcos ?  
 9 Si vetare velis tui poetae  
 10 iram, illi facias satis, tacebit.  
 11 Sin pergas retinere quod labore  
 12 duro promeruit, simul poetam  
 13 possis nec retinere, qui in furorem  
 14 pellet carminibus suis te, et inde  
 15 exstructum ac jugulo tuo paratum  
 16 aptabit laqueum auferetque vitam.  
 17 Et me sentiet esse vindicatum  
 18 saeculum tempora quod sequetur ista,  
 19 quid ? Num somnia somnias minari ?  
 20 Exspectas mea tela ? Quid moraris ?  
 21 Juro, ni properes dare id quod aequum est,  
 22 docturum mea te quid ira possit.  
 23 Viri nec sapientis esse, Phoebi  
 24 prolem laedere, quam juvare debes.  
 25 Pactum dum potes, et licet, fatere ;  
 26 et pergas numerare quod recusas.  
 27 Ni des, dulce tibi necare quantum est,  
 28 in te tantum erit asperos iambos  
 29 audire ingenio e tui profectos  
 30 vatis, pergrave et hos videre passim.  
 31 Ingratissime, contumax repugnas ?  
 32 Consulas moneo, tibi mihique,  
 33 mea denique nec benignitate,  
 34 quod factum tamen usque noli abuti.  
 35 Jam ferre id nequeo tui quod ante.  
 36 Hoc credas tibi serio esse dictum.

## AD VERACIUM.

H1\_82 v.1 Non possum facile explicare verbis,  
 2 nec plane queo mente consequi, quo,  
 3 quo inquam glutine me tibi alligavit  
 4 ipsa lectio versuum tuorum,  
 5 veraci juvenis pererudite.  
 6 Nec possis, scio, cogitare qua cum  
 7 voluptateque gaudioque eosdem  
 8 legi, namque meum otio otioso  
 9 fallebam (pudet hoc tibi fateri)  
 10 tempus nec studiis meis vacabam,  
 11 illi, cum ecce tibi in manus venerunt  
 12 nostras, quos ubi centies relegi  
 13 (afflarunt etenim halitum suavem)  
 14 sic mecum incipio loqui : "Hem, quid ipsa,  
 15 Vultei, misere otiaris ? Hem, quid ?  
 16 Jam non das operam tuae lyrae ? Hem, quid ?  
 17 Talem reddere non studes, loquuntur  
 18 qualem carmina Graeca te venusti  
 19 veraci, Aonio liquorem ab amne  
 20 quae te largius exprimunt bibisse,  
 21 alti et culmina contigisse montis,  
 22 quem summus pater incolit Dearum ?  
 23 Nomen siccine jam sinis perire,  
 24 vates quod celebrant nec indiserti ?  
 25 Sic te vivere convenit ? Placere  
 26 qui praesentibus et cupis futuris  
 27 doctorum auribus ?" Haec diu voluto  
 28 mecum, versibus excitor tuisque,  
 29 et spretum subito stylum resumo,  
 30 Musam protinus ad meam recurro,  
 31 et me paenitet otii insuavis,  
 32 et dum sentio mi meam Thaliā  
 33 placatam, facilem, nec imminutam  
 34 in me amicitiam illius, repente  
 35 pro Graecis Latios modis modos do,  
 36 et pro quattuor, hos tibi repono  
 37 vel cum fenore maximo, statimque  
 38 expulsa procul improba quiete  
 39 me tum confero ab otio ad laborem.

## IN QUEMDAM POETAM.

H1\_83 v.1 Christum plus oculis te amare dicis,  
 2 Christi crux tibi semper est in ore  
 3 Christo sub duce te pati paratum  
 4 flammam, probra, crucem, rotas, venenum,  
 5 risus, scommata contumeliasque  
 6 juras, re tamen impius poeta es :

7       cujus qui ingenium calumniasque,  
 8       mores, crimina, fraudulenta facta,  
 9       vitam denique quae scelestas tota est,  
 10       probe noverit, hoc in orbe nullum  
 11       te uno dixerit esse foediorum.  
 12       Christum credere non suis natum,  
 13       Christum dicere non fuisse passum,  
 14       non hunc denique venditum et sepultum.  
 15       Hocne est plus oculis te amare Christum ?

IN EUMDEM.

H1\_84   v.1       Non de te ut de homine est mihi loquendum.  
           2       Nam tu non hominem sapias, nec ipse es.

IN DINEIUM.

H1\_85   v.1       Vide si rogo quam parum gulosus,  
           2       inquis, tu quoties domi recumbis.  
           3       Sed me fallere non potes, scio te  
           4       cenatum prius esse quam recumbas.

AD BARPT. PRATIANUM

H1\_86   v.1       Jugendis animis licet duorum,  
           2       permultum valeant boni poetae  
           3       versus, praecipue utriusque amici,  
           4       duorum carmine vult ligare mentes,  
           5       qualis Dampetrus, utriusque nostrum.  
           6       Non te verba tamen mihi ligata,  
           7       vatis hendecasyllabum alligarunt  
           8       Dampetri. Haec fateor, meum inchoarunt  
           9       in te praecipuum intimumque amorem.  
 10       At post colloquium tuum suave,  
 11       constituta et inita, Pratiane,  
 12       tecum ingens mihi quae necessitudo est,  
 13       vinculum majus habere firmissimumque,  
 14       radices agere et tenaciores  
 15       coepit. Et studium meum in te amorque  
 16       accrescit magis in dies magisque.  
 17       Nec te nunc quod amemque diligamque  
 18       Dampetri faciunt tuae Camenae.  
 19       Quae sunt, audio, firmiora quae sunt,  
 20       vinculis vincula nexibusque nexus,  
 21       qui sunt dic pariter potentiores  
 22       illis quos carmina Dampetri attulerunt ?  
 23       At, respondeo, munus expositum  
 24       nostri tempus in omne Dampetri, me

25 primum ut te colerem excitavit, at nunc  
 26 quod sis tam mihi carus et suavis,  
 27 quodque nunc video effici auctiorem  
 28 in dies solidum meum in te amorem,  
 29 id non Dampetrus, hercle, fecit, una est  
 30 causa, hac non melior, sed illa major.  
 31 Quam si scire cupis rogesque, tecum  
 32 qui sis collige, Pratiene, habebis.

AD CLAUD. CHOMARDUM.

H1\_87 v.1 Quas a te puer attulit tabellas,  
 2 immensum mihi gaudium attulerunt  
 3 multis nominibus, quod ipse risi, et  
 4 quod magno sine non fuisse risu  
 5 scriptas, perfacile illud indicabat,  
 6 quod tu de misero, invido et loquace  
 7 catello et mihi Simiis catellis  
 8 narrabas, valeat sed ille collo  
 9 cum obtorto et valeant patris catelli  
 10 turpes, improbuli, impolitulique.  
 11 Nil possunt nisi suscitare risum.  
 12 Nec risum placidum, sed hunc caninum.

AD EUMDEM.

H1\_88 v.1 Curis omnibus esse te solutum  
 2 dicis, si modo non feras moleste  
 3 (laturus puto quod nec es) jocari  
 4 tecum perplacet, esse te explicatum  
 5 et curis vacuum molestiisque,  
 6 nescis condicione qua ipse credam ?  
 7 Credo te implicitum fuisse numquam :  
 8 id est quod facit esse explicatum.

DE MORTE F. VALESII R. DESIGNATI.

H1\_89 v.1 Nutrix Gallia militum bonorum,  
 2 quisquam si tibi miles excitarit  
 3 fletus, fle, rogo, militem tuum, fle.  
 4 Altrix Gallia principum piorum,  
 5 pio principe si fuit necessum  
 6 pro quoquam lacrimas gravesque questus  
 7 umquamfundere, principem pium fle  
 8 extinctum, o scelus, impio veneno.  
 9 Est quod pallia nunc fleas abunde  
 10 justa vel ratione, nec dolori  
 11 finem ullum statuas modumve, nam mors,



12 mors, inquam, improba militem peritum,  
 13 principemque pium, insuper potentem,  
 14 fortem magnanimumque Martiumque,  
 15 formosum, minime omnium loquacem,  
 16 naturae juvenem indolisque rarae,  
 17 fregit. Gallia nonne habes querendi  
 18 causam ? Nomine qui tuo cruorem  
 19 sensit tabifica plaga inquinatum,  
 20 huic numquid lacrimas tuas negabis ?  
 21 Nonne occumbere quam dolere plus est ?  
 22 Nonne plus dedit ille, quam repones,  
 23 ut numquam lacrimisque fletibusque,  
 24 et finem facias tuis querelis ?  
 25 Illius igitur gemas salutem,  
 26 qui causa periit tuae salutis.

AD JAC. LODOICUM STREBAEUM.

H1\_90 v.1 Strebaee optime, lux tuae domus, laus  
 2 qua jam Belgica terra gloriatur,  
 3 notus in domina urbe Galliae, tam  
 4 quam Romae Fabius, rudem juventam  
 5 apte dicere qui docebat olim.  
 6 Confutare homines ineptientes  
 7 ludi illos quoque stultulos magistros  
 8 pergamus, quibus inferax putatur  
 9 communis patria artium bonarum.  
 10 Nos id quod sumus, hos et esse quod sunt,  
 11 monstremus studio, labore, cura.  
 12 Quem fructum attulerit tua illa viva  
 13 vox et quem dederint tui libri illi  
 14 frugis maximae et eruditionis,  
 15 nodos qui Ciceronis explicarunt,  
 16 triplex Gallia non potest tacere.  
 17 Lingua doctus utraque doctor ille  
 18 Tusanus, patriae alterumque lumen,  
 19 quid dico patriae ? Immo Galliarum,  
 20 sat tecum arguit horum opinionem  
 21 falsam, quod faciunt, probantque multi,  
 22 quorum nomina, me tacente, lucent.  
 23 Sed quid hos homines ineptientes,  
 24 ludi illos quoque stultulos magistros,  
 25 dignor carminibus ? Sinamus istos,  
 26 Strebaee optime, Zoilos ineptos.  
 27 Et nos quod sumus, hos et esse quod sunt,  
 28 probemus studio, labore, cura.

## IN LUCIANI SIMIUM.

H1\_91 v.1 Illud ingenium tuum, o sceleste,  
 2 impurum nimis impiumque tandem  
 3 adductus precibus meis, parentis  
 4 vel Christi potius cruce atque amore,  
 5 cum te agnoscere cum pudore summo,  
 6 et veris lacrimis deceret, ah te  
 7 pergis perdere, et in dies furorem,  
 8 exauges magis ac magis ; reprensus  
 9 nec mutas, pudor, o sceleste mentem.  
 10 Nec contentus eo, impudenter audes  
 11 appellare hominum ultimos, eos qui  
 12 nolunt criminibus tuis favere,  
 13 nec laudare tuas opiniones,  
 14 falsas has quidem et improbas. At illos  
 15 contra vere homines facis, supremo  
 16 quos inducere criminum, colorem  
 17 virtutis proprium sacrumque nomen  
 18 sentis. Nec satis hoc. Licere dicis  
 19 omnia omnibus, omnia interire.  
 20 Fato obnoxia cuncta sempiternum et  
 21 immortale nihil, Deum esse nullum,  
 22 nos nil dissimiles putasque brutis,  
 23 subdunt colla jugo nisi hoc quod illa,  
 24 caedunt imperio, imperatur illis  
 25 a nobis. Tua dogmata, o sceleste,  
 26 sunt haec impia, belluina, vana,  
 27 quae doces miseros, tuam domum qui,  
 28 et colloquia qui in dies frequentant.  
 29 Quovis melle quibus videntur esse  
 30 quae in mores loqueris, suaviora.  
 31 Si quis te roget exigatque quidquam  
 32 de Christo, domino deoque nostro,  
 33 qui non de grege sit tuo, sed illam  
 34 sectam respuat atque abominetur,  
 35 cui par ingenium paresque mores  
 36 non sint ingenioque moribusque  
 37 tuis, quid facias, scio. Ipse tentas  
 38 vere te esse pium atque Christianum  
 39 omni vel studio probare, causas  
 40 dans, cur oderis ipse Lucianum,  
 41 Christo cur studeas placere soli.  
 42 Ad tui similes paresque ventum est ?  
 43 Belle te simulasse Christianum  
 44 rides. Has, rogo, pone pone technas,  
 45 et subterfugia omnia, invidere  
 46 hanc noli tibi quam impetrare possis  
 47 criminis veniam, fatere mentem  
 48 insani hactenus esse Luciani,  
 49 vitam denique te impie secutum.

50 Deum re sine nomen esse, semper  
 51 pergis credere, frustra et hunc timeri,  
 52 stulta credulitate nosque duci ?  
 53 Martis fatifer ensis haud petet te,  
 54 hasta Palladis haud premet, nec arcum  
 55 curvabit caput in tuum ipse Apollo,  
 56 nec te fulmine Juppiter peruret.  
 57 Sed convicia qui Deo Deorum  
 58 Deo maximo et optimo impudenter  
 59 fecisti, manus ipsa persequetur  
 60 ejus tete etiam Dei, Deum quem  
 61 audes turpiter impie et negare,  
 62 et poenam statuet tibi tam acerbam,  
 63 ut cum te Stygias vias adire  
 64 coget, Rex hominum, Deum paterque,  
 65 dices : "Hei mihi, jam miser, miser sum.  
 66 Erravi, fateor ; Deum esse nosco.  
 67 Vixi non homo, sed canis, poeta  
 68 Vultei mihi providus, poeta  
 69 verax, hanc mihi centies ruinam,  
 70 hanc praedixerat, attamen locus non  
 71 erit flebilibus tuis querelis,  
 72 hae caelum feriant licet supremum."  
 73 Sero nam sapiunt Phryges quod aiunt.

AD SAL. MACRINUM.

H1\_92 v.1 Vatum Gallia quos fovet supreme,  
 2 qui numquam moritura plectra tangis ;  
 3 quem miratur et ipsa honorat aula  
 4 Galli, Gallia quo se ad astra tollit,  
 5 quem semper loquitur suoque in ore  
 6 Francus Rex habet optimus bonorum,  
 7 et quicquid loqueris canisve laudat.  
 8 Hoc unum mihi dic, Macrine, posco,  
 9 cur tu carmine Gallicos poetas,  
 10 ut tete in numerum suum chorumque  
 11 hortaris vocitent ? Poeta qui sis  
 12 primus omnium et omnium magister,  
 13 qui Flaccum citharae patrem sequuntur ?  
 14 Cui palmam tribuant libenter omnes,  
 15 qui navant operam sacris Camoenis ?  
 16 Vis dicam tibi quod, Macrine, verum est ?  
 17 Vis dicam quod opus tuum fateri  
 18 nolentem jubet et monet volentem ?  
 19 Vis donem tibi plura quam rogasti ?  
 20 Non te de grege Gallico poetam,  
 21 sed te esse egregium, Macrine, dicam ;  
 22 atque inter veterum choros locabo,  
 23 et paucos tibi praeferam priores.

24 Quare desine nunc rogare Gallos  
 25 vates, saecula quos tulere nostra,  
 26 sextum ut te in numerum vocare pergant.  
 27 Jam non est locus hac tibi in corona.  
 28 Nam vatium superas lyram recentum, et  
 29 es par arte prioribus poetis.  
 30 Hos inter meritum locum requiras,  
 31 ni primum tibi dent, dabunt secundum.

## AD EUMDEM.

H1\_93 v.1 Nomen dum video meum Camenis  
 2 ornatum immerito tuis, poetam  
 3 me esse qui veteris celebror ore  
 4 vatis, vel veterem puto ; sed ipse  
 5 per me, cum mea perlego, haesitantis  
 6 Musae conscius, audeo recentem  
 7 vix me dicere Gallicum poetam.  
 8 Nec dici merui poeta, factus  
 9 ni quod carmine sum tuo poeta.

## IN SAXEUM.

H1\_94 v.1 Inter vis tibi dem locum poetas,  
 2 non quos saecula protulere nostra,  
 3 sed quos edocuit loqui vetustas.  
 4 Quem cygnos habet anser inter, hunc dos  
 5 debetur tibi dignior ? Nec iste.

## IN CASTULUM.

H1\_95 v.1 Qui solum titulos legis librorum,  
 2 vel tantummodo paginas priores,  
 3 in coronide te ultimoque versu,  
 4 meorum hendecasyllabum locavi.  
 5 Finem perlegere est tibi necesse,  
 6 nomen, Castule, si cupis videre.

## PRIMI HENDECASYLLABORUM FINIS.

\*\*\*\*\*

## VULTEIO DAMPETRUS.

v.1 Te scripsisse phaleucium libellum,  
 2 Vultei, audio. Vir mihi inter omnes  
 3 qui vivunt animi modestiae ergo,  
 4 et candoris, et eruditionis,  
 5 jucundissime, fac ut hoc fruamur,  
 6 quaeso, nam genus hoc (ut ipse nosti)  
 7 imprimis mihi carminis suave est,  
 8 ullum nec legimus magis libenter.  
 9 Hoc solaciolo, hac amoenitate,  
 10 istis deliciis, diu carere  
 11 Dampetrus, rogo, ne tuus sinatur :  
 12 gratiam hac ratione magnam ab illo  
 13 inibis. Nec enim ambigo his inesse  
 14 summam incredibilemque suavitatem.  
 15 Cujus tu mihi quandoque obtulisti  
 16 gustum, hic usque adeo meum palatum  
 17 incendit, minime ut sinat quiesse,  
 18 isthoc dum lepido novoque fetu,  
 19 novorum hendecasyllabum fruatur.

\*\*\*\*\*

## JO. VULTEII RHEMENSIS HENDECASYLLABORUM LIBER SECUNDUS.

(1197)

## AD LIBRUM SECUNDUM

H2\_1 v.1 I primo comes, i, libelle, libro,  
 2 nostrorum hendecasyllabum secunde.  
 3 Romanos pete Gallicosque vates.  
 4 Forsan te excipient velut Catulli,  
 5 aut dicent simile hoc Catullianis  
 6 carmen carminibus meum. Catulli  
 7 nolim dicere me tamen poetae  
 8 umbram vel minimam referre posse.  
 9 Qui sim, quid valeant meaeque vires,

10 ii queis mitteris optime docebunt.  
 11 I solum comes, i, libelle, primo  
 12 nostrorum hendecasyllabum, ad poetas  
 13 saeculi hujus Latiosque Gallicosque.  
 14 Prolem te moneas meam, placebis.

## AD LECTOREM.

H2\_2 v.1 Hos, lector, lege, si juvat, phaleucos ;  
 2 hos, lector, tamen ut benignus, hoc si  
 3 non das, ne lege lector hos phaleucos :  
 4 lectorem volo, non tamen severum.

## POSTERITATI.

H2\_3 v.1 Quaeris posteritas, cupis rogasque,  
 2 urges, sollicitas premisque tempus  
 3 scire, quo cecini tibi hoc poema ?  
 4 Geretur tibi mos, tibi obsecundo,  
 5 nec me a te patior diu rogari.  
 6 Franci temporibusque Caesarisque  
 7 Carli, Pontificisque in urbe Roma  
 8 Pauli, posteritas, tibi hos phaleucos  
 9 (lustris quinque mihi haud adhuc peractis)  
 10 scripsi. Tu genium meum probato.  
 11 Et, quod sola potes, meos labores  
 12 aeternes, nihil amplius requiro.

## AD EAMDEM.

H2\_4 v.1 Illo tempore quo perenne inirent  
 2 foedus, nobilis ille Gallicus Rex  
 3 Carlus Austriacusque, convocato  
 4 Paulo pontifice, ad perennitatem  
 5 Vultei faciebat hos phaleucos.  
 6 Reddas sed cupit hos perenniores,  
 7 Franci foedere Carolique regum,  
 8 credit quod tamen esse sempiternum.

## AD CLINIAM.

H2\_5 v.1 Jamdiu ad te scio litteras dedisse  
 2 me nullas, animo gravi et molesto.  
 3 Perfers, Clinia, et ipsa suspicaris,  
 4 aut me forsitan esse negligentem,  
 5 aut pigrum nimis, aut nimis superbum.  
 6 Oblitumque tui meique amoris ;

7 aut quas scripsimus in tuas venire  
8 manus non potuisse, vel sinistri  
9 fati nescio quid tuo poetae,  
10 ex quo redditae, et ultimae fuerunt  
11 perlatae, mihi contigisse credis.  
12 Isthac desine cogitare, non sunt  
13 causae, epistola nulla, quodque versas  
14 nulli, nil quod ab hac manu exaratum est,  
15 in tuas veniat manus ; sed haec est  
16 cur diu taceam nihilque scribam,  
17 nec quaeras aliam putesve causam.  
18 Tuas cum lego litteras, vel ipse  
19 ad te scribo aliquid, manus tremiscit,  
20 occurrunt lacrimae dolorque mentem  
21 invadit gravis abripitque sensus  
22 omnes, quodque meas levare curas  
23 debet, id cumulum molestiarum  
24 adfert, me sinit esse nec quietum  
25 nostri, Clinia caeca vis amoris,  
26 et Musam jubet esse contumacem.  
27 Nam cum scribere sum tibi paratus,  
28 tuus quos amor excitat dolores,  
29 videndi officium, et negant canendi.  
30 Ac me funditus obterunt. Cupido  
31 obstat, impedit, acriter repugnat,  
32 de manu eripiens stylum parata.  
33 Non quod nostra tibi velit negata,  
34 sed vult se esse Deum probare utrique,  
35 qui nutu miseros premat dometque,  
36 et reddat sibi subditos amantes.  
37 Quare scribere cum volo (volo autem  
38 ad te sunt quoties meas quibus dem)  
39 totus discruciorque torqueorque,  
40 totus debilitorque macerorque,  
41 totus dispereo et miser peruror,  
42 totus emorior necorque totus,  
43 totus conficior. Tuo, quid addam ?  
44 Semper est male, pessime immo vati,  
45 cum scriptis loquitur puella tecum.  
46 Vel tangit, vel adest, vel intuetur  
47 quicquam, quod fuerit, sinu, manumque  
48 gestatum et gremio tuo. Nec est sat.  
49 Ipsas, heu, videor videre flammam,  
50 a Graecis quibus est cremata Troja.  
51 Quid vis dissimulem ? Cadunt abortae  
52 a me tum lacrimae, necem in me amoris  
53 in me jusque necis tenere amorem  
54 re ipsa cum experiorque sentioque.  
55 Curarum rapido inquietor aestu,  
56 duro pondere comprimor dolorum.  
57 Nec me quod perimit premitque vulnus,

58 vel vult vivere, vel mori volentem.  
 59 Anceps languero totus, atque vivus  
 60 simne an mortuus haud scio, sed istud  
 61 unum sat scio, non dolore fractam  
 62 nullam corporis esse portionem,  
 63 tuas cum lego litteras, ut ante  
 64 dictum est, scribere vel jubet Cupido.  
 65 Qui me, Clinia, tam procul diremptum  
 66 a te, incredibili calore torret.  
 67 At si vis tibi postea camenas  
 68 mittam, vivere vis tuumque vatem.  
 69 Cujus carminibus, labore cujus,  
 70 vivis, Clinia ; jam tibi est rogandum  
 71 numen, te mihi, me tibi que primum  
 72 sacro foedere quod ligavit, unum  
 73 istud perficiat duorum amantum  
 74 causa, ut laetitia ex tuis tabellis  
 75 gaudium et mihi suscitetur ingens.  
 76 Ac semper comitetur has voluptas,  
 77 et bellissime et optime valere  
 78 et desisse dolere nuntient te.  
 79 Adhaec ut placeant meae camenae.  
 80 Hoc si contigerit precesque detur  
 81 post multas tibi, tum stylum resumam  
 82 et de more tuam domum camenis  
 83 totam implebo, nihil sonabit illa,  
 84 missa carmina quam tui poetae,  
 85 quae spero fore gratiora multo,  
 86 et tornata magis magisque tersa, iis  
 87 queis lucem rudis attulit juvenus.  
 88 Ac posthac operam dabo et studebo,  
 89 querendi ansa tibi relicta ne sit,  
 90 Musam occasio neve turbet ulla.  
 91 Et ne me avocet occupationum  
 92 turba, quin tibi semper acquiescam.  
 93 Nullum ad te sine litteris venire  
 94 sinam. Sed vereorque suspicorque  
 95 (omen quod superi dei, deaeque  
 96 avertant) prius audiam sepultam  
 97 ne te, quam tibi redditos fuisse  
 98 meos hendecasyllabos : valebis  
 99 semper, Clinia, si modo es superstes,  
 100 et me quod facis unice ipsa amabis,  
 101 dices atque tuae (tacebo nomen)  
 102 a me si licet et lubet, salutem.

## AD MACRINUM.

H2\_6 v.1 Illo tempore, mi tuas, Macrine,  
 2 litteras puer et dedit libellos



3 doctos, res quibus explicas canisque  
4 divinas, cithara (o Deus) pudica,  
5 et puncto hoc fieret quo honesta de te  
6 a me mentio, in optimo virorum  
7 coetu. Jam sino cogitare te, quid  
8 tum de nomine dixerim tuo, quid  
9 de vita, studiis, labore, cursu  
10 ad laudem, ingenio librisque missis  
11 in lucem, in manibus tuis haberes  
12 quantae molis opus, tuae juventae  
13 feturam, tibi justa si daretur  
14 vitae portio, postea editurus  
15 quid esses, patriae relicta famae  
16 quae spes, quae tua nobilis voluntas,  
17 quae expectatio, ab ante rite factis,  
18 quas jam posteritas tuae dicaret  
19 virtuti et meritis tuis coronas.  
20 Sed ne sim nimius, Macrine, linquo  
21 te inquam cetera cogitare, meque  
22 quicquid tunc erat obvium locutum,  
23 quod posset meritum ampliare nomen,  
24 jam clarum satis et satis celebre.  
25 Nam malo ex aliis patere, vel te  
26 qui per te sapis aestimare, dicta  
27 quam vel scribere vel palam fateri ;  
28 ne forsitan nimium superbus, ore  
29 quid jactem tumido, quod est cavendum  
30 huic qui perpetua fide probari  
31 se antiquo et veteri cupit sodali.  
32 Hoc unum tamen addo, quod volo te  
33 scire, nec grave sit tibi aut molestum,  
34 dum narro tibi veriora vero.  
35 In coetu hoc aliquos parum modestos,  
36 (parco nominibus) fuisse qui te  
37 illum quique tuum librum improbarint.  
38 Non per circuitus loquor, tibi rem  
39 scribo. Causa levis calumniandi,  
40 prorsus stulta fuit, nihil necesse est,  
41 dicunt carmina principisque vatium  
42 Hebraeos numeros, sonare plectris  
43 vel Graecis Latiisque Gallicisque.  
44 Objectum, ratione pertinaci  
45 defendi, decet optimum ut sodalem  
46 absentis citharae memor parentis,  
47 dilecti mihi, meque diligentis.  
48 Nil factum temere nihilve dictum  
49 abs te, quod merito queat reprehendi,  
50 dixi, nil quoque continere versus  
51 non sanctum, utile, candidum piisque.  
52 Sed jam non locus ista praedicandi.  
53 Tantum in hanc rogo cogitationem

54 incumbas, tibi gloriam perennem, ac  
 55 quae possit dare sempiternitatem,  
 56 nec sententia te retardet ulla  
 57 collecta ex trivio nihilque turbent  
 58 rumores populi rudisque vulgi  
 59 voces, garrulitas nec invidorum  
 60 vexet. Quod loqueris facisque laudant  
 61 id docti et tua perlegunt libenter.  
 62 Nec te natio Gallicana solum  
 63 sed Romana tuos probat labores.  
 64 Haec scribenda magis tibi putavi  
 65 pro nostro veteri intimoque amore,  
 66 quam quod te monitis meis meoque  
 67 credam consilio indigere, per te  
 68 qui satis sapis appetisque honesta.  
 69 At quod me ex animo rogas, tuae res  
 70 ut curae mihi sint measque ducam,  
 71 persuasum esse tibi velim, Macrine.  
 72 Facturum omnia me : tibi putabo  
 73 quae prodere nec illa mi nocere.

SIBYLLAE BARRENSIS, IN POETAS QUI EAM LEVISSIMIS EPITAPHIIS LUXERUNT.  
 PROSOPOPOEIA.

H2\_7 v.1 Quid me carmine, garruli poetae  
 2 inculto, illepido, invenusto, inepto,  
 3 adscriptam ordinibus Deum, quietis,  
 4 lugetis ? Meritas modis disertis  
 5 laudes scribere discite, aut tacere.  
 6 Aequam sumere viribus poetas  
 7 Flaccus materiam docet jubetque.  
 8 Illud vos etiam rogo, nec abs re,  
 9 numquam tangere me meumque nomen,  
 10 quod mentes superat manusque vestras.  
 11 Hac in re officium haud requiro vestrum,  
 12 sed nervos veterum lyramque vatum.  
 13 Quid possint humeri, diu videte,  
 14 et versate diu quid e recusent.  
 15 Extremum ut sileant diem meum qui  
 16 norunt scribere nil nisi impolitum,  
 17 sat vivam et superis satis placebo.  
 18 Non mi, dum mihi conditis sepulchrum,  
 19 per vos vita redit, datur sed a me  
 20 vobis gloria sempiterna. Nostrum  
 21 nomen sic nitidum ut magis nitere  
 22 non possit, facitis tenebricosum,  
 23 insuavi, illepido styloque vestro  
 24 scabro illo quidem et impolitioe.  
 25 Nostram haud scripta vetant perire famam,  
 26 vestrum at fama vetat mori poema.

## AD DAMPETRUM.

H2\_8 v.1 Qui jam, Dampetre, nititur bacillo,  
 2 albam quique gerit comamque rara,  
 3 et cui jam lacrimosa sunt Falerno  
 4 multo lumina, cui genae cavae et sunt  
 5 rugosae, tremulum caput, manus, pes,  
 6 totum denique corpus est tremens, vox  
 7 qualis cum puer esset ore blaeso.  
 8 Scribit se juvenem et studet probare.  
 9 Hunc credes juvenem ut probare possit ?  
 10 Bis credam puerum senem, sed illum  
 11 non credam juvenem, ut queat docere.

## LIGNII ALLOQUENTIS NUTRICEM LILIAE, PROSOPOPOEIA.

H2\_9 v.1 Nutrix Claudia Liliae puellae,  
 2 noctis pollicitae mihi memor, jam  
 3 adsum, solve fidem, fidem ipse solvi.  
 4 Moto cardine pande, clausa pande  
 5 lignio ostia, quod precor, pusillum est,  
 6 grato des mihi Liliaeque vultu.  
 7 Sesqui est hora satis superque utrique.  
 8 Parvo fac aditu fores patecant,  
 9 obliquum et capiat latus meum, jam  
 10 porta semiadaperta Liliae ; vel  
 11 si non hanc mihi januam relaxes,  
 12 id des te rogo, quod minus pusillo est.  
 13 Fac saltem altera clausa pars fenestrae  
 14 ostendat misero alteram patentem.  
 15 Cernam ut dimidiam meam puellam,  
 16 nudam inquam videam meam puellam  
 17 in molli et tepido toro jacentem.  
 18 Prorsus dividua coma tegente  
 19 collum candidulumque lacteumque.  
 20 Contempler digitos, femur, papillas,  
 21 lucentes oculos, genas rubentes.  
 22 Et quod tangere, quam videre plus est.  
 23 Quod si, Claudia, tam benigna fias,  
 24 ut te permoveant precesque voxque,  
 25 nec sis durior ostio aut fenestra,  
 26 et des hanc mihi gratiam, recincta  
 27 dimisso thalamo stola, ut puella  
 28 ad me semianimum excitata currat,  
 29 et stantem mediam ad fenestram amicum.  
 30 Non adhuc tenebris procul fugatis,  
 31 soletur, spatii idque utrique detur,  
 32 figam ut oscula, et oscula ipsa figat,

33 succi plena, tenella, mollicella,  
 34 vix nec dimidiis tamen labellis,  
 35 tangam id, tangere quod dabit fenestra  
 36 innixus manui alterae altera, a te  
 37 ultra, Claudia, jam nihil requiram.  
 38 At si cetera sponte des, nec ipsa  
 39 nostris inideas jocis, quod opto,  
 40 extemplo ingrediar cubile et ipse,  
 41 sed non singula persequor, duos tunc  
 42 quae nos non comitabitur voluptas ?  
 43 Quae non nos veneres, cupidinesque ?  
 44 Quae non denique gratiae sequentur ?  
 45 Nobis gaudia quanta suscitabis,  
 46 nutrix Claudia, Liliae puellae ?

AD BARPT. CASTELLANUM.

H2\_10 v.1 Castellane, novem pater dearum,  
 2 vel non dissimilis patri sororum,  
 3 ingentem mihi gratiam referre  
 4 quid gestis, minimo omnium poetae,  
 5 pro nugis tibi ineptiisque missis ?  
 6 Tantum abest mihi debeas referre  
 7 ullam, me facile ut putem beatum,  
 8 et jure et merito tibi obligatum  
 9 esse, quod tu hilari poema vultu,  
 10 nostram exceperis et favore tanto  
 11 Musam, quanto opus est boni poetae.  
 12 Ad haec quod numeris tuis venustis,  
 13 Castellane diserte, heri beasti,  
 14 nec certe minus elegantis oris,  
 15 doctique alloquii suavitate  
 16 Vulteiium illepidum, malumque vatem.  
 17 Et dignum tuo amore judicasti  
 18 vix adhuc Rhodano Druentiaque  
 19 visum, est quod fatear tuo esse in aere.  
 20 Quare desine gratias referre,  
 21 abs te, vel dubio procul, putabo  
 22 rideri officii aut mei admoneri,  
 23 qui jam debeo quas refers referre.

AD EUMDEM.

H2\_11 v.1 Quae tu, quae mihi caeca monstra narras ?  
 2 Quas pestes hominum nefariorum,  
 3 qui insonti tibi concitare turbas,  
 4 nequicquam tamen esque et usque tentant ?  
 5 Et disjungere te a meo Bohero,  
 6 virum insigniter utriusque linguae

7 doctum, quotidie student voluntque ?  
 8 Virtutem a vitio opprimi novumne est ?  
 9 Sed perdunt operam suam, tibi que  
 10 adjungunt magis ac magis Boherum,  
 11 quo student magis ac magis requirunt,  
 12 ejus a te animum tuique amore  
 13 aversum esse. Velim meum Boherum  
 14 prudentem juvenem et pereruditum,  
 15 quo nil candidius minusque fictum  
 16 credas ; qui cane pejus, atro et angue  
 17 vitet ac fugiat maligniorum  
 18 linguas, atque dolos calumniasque.  
 19 Quaeris forsitan istud unde norim ?  
 20 Constituta mihi necessitudo  
 21 cum illo, quod loquor indicavit : usus,  
 22 vero verius idque comprobavit.  
 23 Testes vis alios fideliores ?  
 24 Fide ii sunt mihi sat superque digni.

AD AEGID. BOHERUM MAECENATEM.

H2\_12 v.1 Si quaeras quid agat tuus poeta,  
 2 scribit, Naso quod exsul, atque cantat  
 3 vates quod sine concinit Patrono.  
 4 At nunc, audio : num cares Patrono ?  
 5 Exsul numquid es in domo beata  
 6 fratris candidi, Episcopi periti ?  
 7 Qui pro uno ipse duos habes Patronos,  
 8 fratres quattuor immo habes Boheros ?  
 9 Jam respondeo : me carere credo  
 10 (adsint ut mihi quattuor Boheri)  
 11 cum te non video, omnibus Patronis.

AD BECTONIAM VIRGINEM.

H2\_13 v.1 Ut vultus mihi sit tuus negatus  
 2 quem nuper licuit videre, ut ipsam  
 3 te, Bectonia, moenia alta servent  
 4 quae non moenibus indiges, ut ipse  
 5 a te, virgine, sim procul, tamen non  
 6 idcirco mihi vultus est negatus,  
 7 a me nec procul es pudica virgo.  
 8 Te semper video, alloquor tuisque  
 9 pascor luminibus, tui ipse pulso  
 10 portam carceris in dies, et horas.  
 11 Momentis quoque singulis locum ipse,  
 12 tempus et spatium haud tibi molestum,  
 13 venor, aucupor, ambio, camenas  
 14 communes faciam ut tibi meosque

15 conceptus recitare virgo possim.  
 16 Illo et colloquio tuo fruisi,  
 17 quo nil est moderatius magisque  
 18 castum, nec minus osculor proboque  
 19 divinum ingenium piumque pectus  
 20 absens, quam tua templa cum viderem :  
 21 templis sollicitae haud remota Marthae.  
 22 Et quocumque loco bibamque edamque  
 23 vel scribam studeamve dormiamve,  
 24 id tecum facio, nihilque conor,  
 25 dicto concipioque somnioque,  
 26 quin te participem velim, ac si adesses.  
 27 Membris divider a meis et ante  
 28 quam Bectonia desinas placere.  
 29 Me si vana loqui putas, aberras  
 30 tota virgo via poloque toto.  
 31 Esses et nisi longius, doceri  
 32 quam posses, cito cogere fateri  
 33 te, quod credere jam puto ; tuae num  
 34 aures nunc tibi tinniunt ? Ministram  
 35 a me nonne vides tuam vocari,  
 36 quae te vel roget ad tuum venire  
 37 Vulteiium, tibi vel meas tabellas  
 38 reddat sedula perferatque versus  
 39 qui te detineant diu legentem,  
 40 claros quique oculos diu morentur,  
 41 pressis ordinibus modisque rasis ?  
 42 Omni vel puto te carere sensu,  
 43 vel jam, quod teneo, tenere carmen.

## AD G. SCAEVAM.

H2\_14 v.1 Quis sit simius ille Luciani,  
 2 quis Tortonius ille sit poeta,  
 3 ingrattissimus ille quis sodalis,  
 4 quis sit Zoilus in meis libellis  
 5 undeno pede syllabaque factis  
 6 undena, licet usque, me roges, id  
 7 non dicam tibi, Scaeva, nam brevi se  
 8 prodent, carmine seque vindicabunt.  
 9 Quorum crimina carmine ante risi.  
 10 In se, nec dubites, severiores  
 11 fient quam fuero hactenus, peperci  
 12 horum nominibus, scelus notavi  
 13 nomen crimine cum suo docebunt.

## IN BOTIUM.

H2\_15 v.1 Qui vivas, taceam rogas. Tacebo,

2 sed pro me populus satis loquetur.

DE TORTONIO.

H2\_16 v.1 Vir Tortonius est malus, bonam rem  
2 fecit ille tamen, sed haud putabat.  
3 Illi parcite : se malum esse dixit.

AD JO. FRAXINEUM.

H2\_17 v.1 Olim quae fuerant scholae sophorum,  
2 legum hoc tempore serviunt magistris.  
3 Qui fit, Fraxinee, optime ipse nosti.  
4 Nunc vult discere pauper esse nemo.  
5 Aut ut rem tibi verius loquar, nunc  
6 (ut se quisque tamen putet beatum)  
7 vitam vivere nemo vult beatam.

AD CHRISTOPH. RICHERIUM.

H2\_18 v.1 Absentes nihil obtinere ab aula  
2 Regum Pontificumque Caesarumque,  
3 respondes mihi saepe conquerenti,  
4 confirmas ratione : nam reversos  
5 a Graecis, fieri sibi gradum ista  
6 causa in hanc voluisse, ut obtinerent  
7 praesentes aliquid, doces ; at ipse  
8 praesens sum, obtineo tamen minus quam  
9 absens. Causam aliam adferas necesse est,  
10 quae me nil probet obtinere posse.  
11 Addis : retia non paras loco, nec  
12 escam tempore. Quem locum rogo tu  
13 profers ? Quod mihi tempus ipse narras,  
14 praedam fistula quo trahat petitam ?  
15 Dic, quot lustra Macrinus et Marotus  
16 consumpsere, duo optimi poetae,  
17 sat servire locoque temporique  
18 docti ? Tempus ad hoc, lucrum assecuti  
19 sunt nullum, aut minimum, tamen camenis  
20 doctis, dulcibus elegantibusque.  
21 Conferri (veniam dabit vetustas)  
22 odis jure queunt Horatianis,  
23 Nasonis quoque lenibus modis quae  
24 possunt. Si quid erit Macrinianum,  
25 vel si quid fuerit Marotianum,  
26 id tota, fateor, legetur Aula,  
27 illud mille manus terent, amicis  
28 mittetur, sibi rex volet legi, atque

29 clamabit nihil aula, vel loquetur  
 30 quam quod edidit hoc novum Macrinus  
 31 carmen et dedit hoc novum Marotus.  
 32 Verum qui numeret vel huic, vel illi,  
 33 nummos mille, legetur ipsa in aula  
 34 nullus, carmine pro novo et perito.  
 35 Dicis, dic igitur mihi ipse, amico  
 36 Vultei, et mihi dic precor sodali  
 37 causam, si qua alia est. Suo loco hanc te,  
 38 suo ac tempore, si voles, docebo,  
 39 Richeri. Mihi nunc datum est tacere,  
 40 at tunc cum dabitur loqui, explicabo.

AD BECTONIAM.

H2\_19 v.1 Est Bectonia saeculum hoc beatum  
 2 multis nominibus quidem, sed hac re  
 3 primum, nota quod ipsa virgo in illo es.  
 4 Sunt et hoc magis aureo beati  
 5 saeclo queis licuit diu fruisi  
 6 divino alloquio tuo et venusto,  
 7 quo te perpetuo expolis lepore,  
 8 artes dum sequeris venustiores,  
 9 jam multum Latia perita lingua.  
 10 Audivit, puto, nemo te loquentem,  
 11 quin complexus amore sit libenter  
 12 vocem illam placidam, piam, suavem.  
 13 Qua conceptam hominum ante opinionem  
 14 de te, de studio tuoque vincis.  
 15 Nec quisquam, scio, te est diu allocutus,  
 16 quin semper fuerit palam coactus  
 17 testari ingenue atque confiteri,  
 18 omni te genere eruditionis  
 19 ornatam, quoties juvenularum et  
 20 facta est mentio virginum piarum,  
 21 quae Musas colerent amoeniores.  
 22 Quarum de numero vel esse primam,  
 23 et te te celeberrimam optimarum  
 24 possim scribere si quid, approbabo.  
 25 Quare, quod facis, erudita virgo,  
 26 o Bectonia, pectoris mei pars,  
 27 in imis animi sedens latebris ;  
 28 O te, inquam, obsecro, te precor rogoque  
 29 quantum te ex animo rogare possum,  
 30 nomen sustineas tuum et quod usque  
 31 fecisti, facilem te amabilemque  
 32 praestes teque putes remuneratam,  
 33 illis si placeas quibus placere  
 34 et regnum tibi, et est merus triumphus.



## IN CENACUM.

H2\_20 v.1 Est te, Cenace, turpius sub astris  
 2 omnino nihil attamen sacerdos  
 3 quidam Romulei gregis, fatentem  
 4 audivit, graviter tuo in colore  
 5 tibi te placuisse plus satis teque  
 6 in formae pariter tuae nitore  
 7 peccasse esseque saepe gloriatum.  
 8 Ob id, te veniam Deum rogare.  
 9 Id quod, Cenace, flamini fateris,  
 10 peccatum haud reor, est quid ergo ? Abusus.

## IN TORTONIUM.

H2\_21 v.1 Ex notis mihi vindicasse nugis,  
 2 versus innumeros, poeta, narras.  
 3 Istud confiteor, tamen negare  
 4 possum jure quidem, nec id docebis.  
 5 Quid tum ? Num nocui tibi ? Poetam  
 6 num mutare liber potest in orbe  
 7 toto cognitus ? Objicis : "Meas mi  
 8 nugas redde". Tuas, inepte ? Rides.  
 9 Pelisso negat et negat Perellus,  
 10 negant scrinia nuda Pradiani,  
 11 compilata tua rapacitate.  
 12 Harum nec titulum tuum probabo.  
 13 Quaesisti quibus, atque comparasti  
 14 famam. Dicere me cupis tuarum  
 15 nugarum, invide, carminumque furem ?  
 16 Scribas dicere quod tuum esse possim.  
 17 Hoc tum si mihi vindicem, fatebor  
 18 dici velle tuo labore vatem  
 19 me, quod credibile esse tunc docebis.

## AD RUTILIUM.

H2\_22 v.1 Cum linguae officium prius disertae  
 2 ablatum, Rutili, vides, quid ipse,  
 3 cessas scribere qui potes diserte ?  
 4 Quod non vox Rutili dabit, manus det,  
 5 aut cum voce manus tibi auferetur.

## IN INVIDIUM.

H2\_23 v.1 Carpis carmina, quae modo approbabas.  
 2 Si non invidia est, quid invidere est ?

3 Si non haec levitas, quid est levem esse ?  
 4 Si non improbitas, quid improbum esse ?  
 5 Si non nequitia est, quid esse nequam est ?  
 6 Ex ludo redeam tuo peritus.

IN LAMNUM.

H2\_24 v.1 Formam, Lamne, mihi te habere matris  
 2 dicis. Sat scio, nec negare possum.  
 3 Mores inde aviae, haud nego, probare  
 4 et istud potes. Os patris subinde,  
 5 et hoc confiteor, sed oro, Lamne,  
 6 curvas cujus habes manus ? Tuae sunt.

IN CARPAURIUM.

H2\_25 v.1 Cur cor fama tuum probi poetae,  
 2 Carpauro, emaciatve lancinatve ?  
 3 Si tam te macies juvat, quid uxor  
 4 noctes atque dies agat, videto.

IN LAMNUM.

H2\_26 v.1 Quod "vale" haud mihi dixeris, Tolosam  
 2 cum relinquere, Lamne, es a senatu  
 3 jussus, non dolet hoc mihi, ipse causam  
 4 novi legitimam tuae fugae, sed  
 5 vellem mehercule cum Tolosa abisses,  
 6 (dum me non poteris) sagum valere ut  
 7 jussisses (facere et quidem id decebat)  
 8 dixisses mihi sat "vale" superque,  
 9 ni tecum ipse sagum meum abstulisses.

AD BAPT. CANDELARIUM SENAT. ROTOM.

H2\_27 v.1 Dum Musam extenuas tuam, meaeque  
 2 assurgis, facis id quidem quod omnes  
 3 docti, qui sibi sat parare credunt  
 4 laudis, nominis et satis putant, cum  
 5 id caedunt aliis quod est eorum  
 6 ipsorum proprium ac peculiare.  
 7 Et quo nomine, quoque honore digni,  
 8 exornant alios, sibi hoc negantes.  
 9 Mi, Baptista, dabis quod obsecrabo ?  
 10 Ne posthac videas ineptiarum  
 11 nostrarum cumulos rudesque versus,  
 12 nam quaerunt manibus tuis minores.

13 Quod si carminibus velis vacare  
 14 a fori strepitu domum reversus,  
 15 centum Bibliotheca dat libellos  
 16 divino ingenio e tuo profectos,  
 17 illos perlege, plus meis placebunt.

LODOICAE BECTONIAE EPITAPH.

H2\_28 v.1 Quae soli fuerat dicata Christo,  
 2 quae vivens macula gravi carebat,  
 3 quae semper studuit placere cunctis,  
 4 quae numquam voluit nocere cuiquam,  
 5 quae laus prima domus fuit pudicae,  
 6 quae lux virgineae fuit cohortis,  
 7 quae sodalicii nitorque honosque,  
 8 longae tempora post relictata vita  
 9 vita perfruitur diu petita.

AD DAMPETRUM.

H2\_29 v.1 Vatis carmina Caesari Maronis  
 2 nullo tempore non fuere grata.  
 3 Tusco numquam equiti poema Flacci  
 4 visum est vel leve, vel parum modestum.  
 5 Cur nunc principibus poema vatum  
 6 nostri temporis haud pili aestimatur ?  
 7 Causam, Dampetre, nescies docente  
 8 me, sed dicere non verebor istud :  
 9 qui nil carminibus facit disertis  
 10 dignum, carmina non potest amare.

IN TORTONIUM.

H2\_30 v.1 Versus principiis tuos novorum  
 2 librorum inseris, haecque causa facti est :  
 3 nomen ut relegatur atque ametur  
 4 a multis. Minus at nihil facis quam  
 5 id quod carminibus studes. Opus sed  
 6 facto quid fuerit scias, docebo.  
 7 Vis nomen placeat tuum sequensque  
 8 aetas laudet, et osculetur illa.  
 9 Quid dignum in propriis canas libellis.

CANDELARIO ET PETREMOLLIO SENATORIBUS ROTOM.

H2\_31 v.1 Non possum facere, o duo senatus  
 2 vestri lumina clariora luce,

3       quin dicam ipse abiens "vale". "Vale" ergo  
 4       summo dicere cum dolore cogor  
 5       vobis luminibus sacri senatus.  
 6       Quod sic me facere hoc duobus ipse  
 7       persuasum esse velim velimque certum.  
 8       Qui, quaeso, fieri potest ut hos, quos  
 9       junxerunt mihi litterae, relinquam  
 10       (eheu tam cito) non dolens ? Profecto  
 11       esset spes nisi perbrevis recursus  
 12       ad vos, diceret ultimum "vale" vox,  
 13       post hoc addere nec "vale" juvaret  
 14       ullum, sed sequeretur hoc "vale" mors.

IN VIOLINUM ROSIUM.

H2\_32   v.1       Cum sis pessimus ipse pessimorum,  
           2       dent nomen violae, licet, rosaeque,  
           3       non tamen violas oles rosasve,  
           4       sed sulphur, laqueum, rotas crucesque,  
           5       dicunt te redolere polyposi,  
           6       vel vis est quibus abnegata nasi.  
           7       Ergo si quibus est odor negatus  
           8       florum, quid sapias sciant, necessum est  
           9       te jam non violas rosasque olere,  
 10       10       sed te plus violis rosisque olere.

IN EUMDEM.

H2\_33   v.1       Unguentum ulcera saepe quo perungis,  
           2       hoc laudas mihi fortiusque dicis  
           3       Atticis redolere floribus, plus  
           4       hoc certum est redolet sapitque. Sed vis  
           5       nil jam dissimulemque mentiarque ?  
           6       Unguenti malus est odor gravisque.  
           7       Florum naribus est odor suavis.

AD SCAEVAM.

H2\_34   v.1       Qui nullum nisi sese amat putasve  
           2       fidae amicitiae hunc habere pectus ?  
           3       Amicum is tamen esse singularem  
           4       jurat se tibi, Scaeva, sed tibi non  
           5       constat : quae ratio ? Fides in illo  
           6       non est. Hunc igitur neges amicum,  
           7       qui nullum nisi sese amat. Nec ipsum  
           8       sese sic amat, ut solent se amare  
           9       illi queis ratio imperat quibusque  
 10       10       mens est integra, sana, pura, simplex,

11 et vita potior fides. Nec optes  
 12 illum nec cupias velisve amicum  
 13 hunc cui nemo placet, placetque nulli.

AD FRANC. PRIOREM.

H2\_35 v.1 Suis nomina convenire rebus  
 2 ut credam facis, es prior Boheri  
 3 (de turba ipse loquor domesticorum)  
 4 fixus optimi Episcopi in medullis,  
 5 quis re et nomine te neget priorem ?

IN PICTAVIAM.

H2\_36 v.1 Deformissima cum sit Aulicarum,  
 2 vetustissima cumque anus sit, et cum  
 3 sit spurcissima tritiorque ineptae  
 4 simiae natibusque clunibusque,  
 5 cum sit sordidior lupis, venusti  
 6 in se nilque habeat vel elegantis,  
 7 arrectum modo respuat nec ullum  
 8 penem, Pictavia aulica, illa pellex  
 9 impurissima et omnium improbarum  
 10 improbissima, credit attamen se  
 11 pulchritudine, gratia, decore,  
 12 forma splendidiore, ditiore  
 13 cultu, perfacile Aulicas puellas  
 14 omnes vincere, quod probare gestit  
 15 fuco, quo faciem indecenter ornat.  
 16 Sed hanc per Venerem velim rogatam,  
 17 num vestis lacera esse quit quod ipsa est  
 18 vestis integra ? Calceus venustus,  
 19 in cujus solea patent fenestrae  
 20 amplae, num poterit videri et esse ?  
 21 Num mammae vacuaeque pendulaeque,  
 22 num rugae innumerae queunt placere ?  
 23 Id me Pictavia audiat docente :  
 24 nullo tempore feminas renasci.  
 25 Nam quae temporibus cadunt in usum,  
 26 illae temporibus cadunt ab usu.  
 27 Nec postquam cecidere, suscitantur.

AD SALM. MACRINUM

H2\_37 v.1 Fictos esse putas meos amores,  
 2 nec sentire faces Cupidinis, nec  
 3 umquam me meruisse sub puella,  
 4 nullam detinuisse me, nec ullam

5 musae materiam meae dedisse,  
6 numquam me niveis manus lacertis  
7 Cliniae imposuisse, Cliniamque  
8 sedisse in gremio meo negas. Quid ?  
9 Immo dicere Cliniam fuisse  
10 nullam audes. Mihi crede, falleris. Nam  
11 fictum sit nisi sidera esse caelo  
12 fixa sitque Jovem Jovem esse falsum,  
13 majorem nisi sit subinde stultum  
14 orbem credere solis esse Lunae.  
15 Ni sint somnia Lesbiam, Corinnam  
16 excitasse animos lyramque vatum.  
17 Heroo addere carmini minorem  
18 neglectis gravioribus Camenis.  
19 Nugae sint nisi te Gelonidaeo  
20 astrictum esse toro, toro o beato,  
21 non fictum est, Veneris (tamen pudicae)  
22 me esse militiam hactenus secutum,  
23 et caeco puero dedisse nomen.  
24 Sed vellem atque utinam quod ipse reris,  
25 tam verum esset et huc fuisset usque,  
26 quam fictum esse putas. Necessitudo  
27 nam si nulla fuisset arta, cum illa  
28 multo tempore copulata, quam tu  
29 me vidisse putas, Macrine, numquam,  
30 non esset mihi acerbius ferendum,  
31 illam illam in miserum incidisse morbum,  
32 nec me nunc lacrimas dolor juberet,  
33 maestum fundere, nec procul pererrans  
34 ejus de dubia miser salute  
35 essem sollicitus, nec ipsa in hancce  
36 vi morbi exanimis puella vocem  
37 jam prorumperet, ad tuam puellam  
38 (vivam si cupias videre) curre  
39 Vultei, propera ad tuos amores  
40 promisso addere facta ne graveris,  
41 quam primum rogo te advoles. Movere  
42 artus jam nequeo caretque nervis  
43 corpus, jam sine sanguine est color, sic  
44 me, jam si videas, prius negabis  
45 visam. Candida non rubore mixto  
46 sublucet facies, nihilque non est  
47 in me jam miserabile, apparatus  
48 exspecto tumulum, futura nec sum  
49 post horas tibi pauculas superstes.  
50 Nec sic dicere cogerer dolens, vos  
51 mites vallibus este vos recurvis,  
52 este, o vos faciles viae, este apertae.  
53 Montes qua veniam ad meam puellam  
54 morti ut audio proximam tumentes  
55 tunc subsidite, quo vorare possim

56 iter difficile et laboriosum  
 57 quod me separat a mea puella.  
 58 Et vos, dum propero, favete venti.  
 59 Ne invadant jugulum meum latrones,  
 60 fac silvae pateant tuae, Diana,  
 61 fac, Neptune, meae tua obsecudent  
 62 puppi flumina, fune ne soluto  
 63 qua fluctus vehar obruant carinam.  
 64 Sed portum quoties in hunc ab illo  
 65 pergam, naufragio haud sinas perire.  
 66 Sit clementia qualis ante numquam  
 67 caeli, nubibus explicetur aer,  
 68 causam praebeat et nihil doloris  
 69 currenti mihi, quam dolor puellae,  
 70 qui per se est nimium potens euntis  
 71 vires frangere jamque destitutas  
 72 suo robore, vinculisque priscis.  
 73 Sed quid torqueo me in probatione  
 74 ejus ipso rei ? Haec probanda non sunt,  
 75 quae certissima sunt, Macrine. Quare  
 76 veros esse meos putes amores,  
 77 me sensisse faces Cupidinis, me  
 78 formosa meruisse sub puella,  
 79 illam detinuisse me, atque eandem  
 80 musae materiam meae dedisse,  
 81 Cliniam a puero puellam amasse,  
 82 in meis elegis nihilque falsum  
 83 de illa, de ingenuo illius pudore,  
 84 puro pectore, mutuisque flammis,  
 85 vel credas mihi sponte confitenti,  
 86 vel te a conjuge non putes amari,  
 87 aut te credere desinas Macrinum.

DE CLINIA AEGROTANS.

H2\_38 v.1 Flete vos, jubeo, meae Camenae,  
 2 flete cum domino simulque adeste  
 3 cum luctu comites mei doloris.  
 4 Namque Clinia virgo, virginum lux,  
 5 eheu nunc dolet, et jacens recumbit.  
 6 De cujus doleo dolore plusquam  
 7 quisquam credere possit ; ergo adeste,  
 8 flete ergo, jubeo, meae Camenae,  
 9 flete cum Domino simulque adeste  
 10 cum luctu comites mei doloris.  
 11 Ullus non lacrimis modus, nec ullus  
 12 adsit terminus, optime hanc habere  
 13 donec (si superis placet) sciam ipse,  
 14 quae donat genium meis libellis,  
 15 quae plena est fidei bonae atque amoris

16 casti, quae colere et sequi, et vereri, et  
 17 mirari didicit viros peritos,  
 18 quam sancte facerent viri probati.  
 19 Quam docte facerent viri disertii.  
 20 Quare, vos jubeo, meae Camenae,  
 21 flete cum domino simulque adeste  
 22 cum luctu comites mei doloris.  
 23 Vos hymnum superum sacrate regi.  
 24 Lamentabile dedicate carmen.  
 25 Tandem ut Clinia sentiat dolorem  
 26 pulsum versibus, ac meis querelis.  
 27 Nam si hinc eripiar mihique rapta est,  
 28 vobis, vos moneo, "vale" ipse dicam.  
 29 Dicetisque "vale" mihi, Camenae.

NUNTIUM DE MORTE SUAE CLINIAE.

H2\_39 v.1 Curis omnibus, omnibusque morbis  
 2 dilectam audio Cliniam solutam,  
 3 caram, inquam, audio mortuam puellam.  
 4 A me omen removete, Dii, sinistrum.  
 5 Erret talia quique nuntiavit.  
 6 Nobisne invida sustulere fata  
 7 Cliniam, nec adhuc tribus peractis  
 8 lustris ? Non puto tam deos iniquos.  
 9 Illam scilicet abstulere fata  
 10 nobis tam propere ? Abstulere, certum est.  
 11 Ne quicquam dubites, mihi ille. Caelo  
 12 alto jam fruitur Deoque vivit.  
 13 Ergo spes mea vana ? Destitutus  
 14 ergo deliciis meis ? Puella  
 15 ergo quae fuerat dicata nobis  
 16 excessit ? Puto jam Deos iniquos,  
 17 re ipsa sentio et hos nimis severos.  
 18 Iis ne muneribus, mali beastis  
 19 Dii connubia nostra ? Dote numquid  
 20 ista Clinia digna erat ? Maritas  
 21 taedas jamque Hymenaeae tolle, tolle.  
 22 Ite o vos procul, o faces jugales,  
 23 sunt sponsalia, sunt dirempta fato  
 24 injusto heu, mihi, Cliniaeque. Nam illa  
 25 ingressa in thalamum puella nondum,  
 26 deducta in tumulum fuit, mea spe  
 27 falsus, nunc ego langueo, maligni  
 28 hac in re superi mihi, maligni  
 29 hoc facto quoque Cliniae fuistis.  
 30 Sed cum nil lacrimae valere possint  
 31 reviviscere nec queat querelis,  
 32 id saltem date, ut urna nos amantes  
 33 nunc nunc nos habeat duos amantes.



34 Nam post funera Cliniae, vel unum  
 35 diem vivere non queo, atque ab ejus  
 36 vitae vulnere quicquid ipse ducam,  
 37 vita haec non erit, ast erit dolor, qui  
 38 me nec vivere nec sinet perire.  
 39 Vitae gaudia nec beatioris  
 40 umquam sentiet illa, se deam nec  
 41 credat, addita sit licet deabus,  
 42 donec me videat simul beatum  
 43 factum meque choro additum deorum.

CLINIA MORTUA, MORI OPTAT POETA.

H2\_40 v.1 Heu, quis me miserum obruet poetam  
 2 salsis fluctibus ? Et gravi dolori  
 3 quo absumor statuet modum ? Procellis  
 4 quis me tristibus implicabit ? Aut me  
 5 saxi ex vertice maximi rotabit ?  
 6 Me quis praecipitem dabit ? Meum quis  
 7 prompta confodiet caput sagitta ?  
 8 Quis tinget gladium meo cruore ?  
 9 Vitae quis mihi denegabit usum ?  
 10 Me me fulmine, Juppiter, corusco,  
 11 me, Neptune pater maris, tridente,  
 12 gaeso in frustra seces tuo Minerva,  
 13 flammis Mulciber aut tuis cremanda  
 14 artus exhibeas meos, cadaver  
 15 corvis vulturibusque devorandum,  
 16 et totum canibus lupisque detur.  
 17 Vel me dentibus obterant leones.  
 18 Quid clamem ? O superi dei deaeque,  
 19 subterranea regna vel tenentes,  
 20 vivum absumite me meisque poenis  
 21 finem imponite et asperos labores  
 22 mortis terminet hora scripta, nec me  
 23 exsanguem videant mei penates  
 24 nec quos in patria domo reliqui.  
 25 Namque ut vivere mi fuit beatum,  
 26 donec Clinia vixit, hac molestum est  
 27 sic me vivere mortua atque humata.  
 28 Quam solam poteram meam vocare,  
 29 sola et quae poterat suum vocare.  
 30 Quae plus me coluit parente utroque,  
 31 et quam plus colui parente utroque,  
 32 quare vos agite, o dei deaeque  
 33 omnes, reddite me meae puellae.  
 34 Ut possum obsecro, terra nunc dehiscat  
 35 confecto lacrimis mihi, et misello  
 36 Parcae stamina praeparate amanti.  
 37 Mors vita potior mihi lucrumque est,

38 nam vitam pariet beatiorem,  
39 mentem a carcere qui vocabit isto.

SCRIBENDI MATERIAM SIBI MORTE CLINIAE ABLATAM.

H2\_41 v.1 Donec materiam suo poetae  
2 vivens Clinia praebuit canendi,  
3 rara non sine gratia Camenis  
4 servivi, et placuit stylus disertis  
5 noster auribus, ac Deae Minervae,  
6 et Phoebo et Veneri Cupidinique,  
7 et iis lauta quibus manus sacramque  
8 laurum tangere digna Apollinis, quique  
9 effutire nihil rude aut ineptum,  
10 vel crudum didicere musicamque  
11 qui tractare sciunt, mihi Besardus  
12 exspectatio patriae et parentum  
13 hic hic testis erit gravis, Macrinus  
14 summus hendecasyllabum poeta,  
15 versus cui omne genus dedere Musae,  
16 et hic testis erit mihi, probatis  
17 qui me vatibus inserunt. Poetae  
18 at postquam cecidit suo puella,  
19 omnem materiam simul modosque  
20 detraxit, "Valeant novem sorores,  
21 dixi, dulcisonam lyram reliqui."  
22 Nervos jam paries habebit ipse,  
23 versus qui toties meos canentes  
24 audivit decus et fidem puellae.  
25 Cygno qui mage Clinia canorus  
26 viva, sum mage pisce mutus, et quae  
27 Musae cumque fuere tum jocosa,  
28 ejus sunt odiosa morte facta ;  
29 et quae materiam dedit canendi,  
30 causam perpetuo dedit gemendi,  
31 et causam dedit, o dolor, tacendi.

EPITAPH. CLINIAE.

H2\_42 v.1 Consors laetitiae meae puella,  
2 consors tristitiae meae puella,  
3 quondam divitiae meae puella,  
4 quondam deliciae meae puella,  
5 sola conscia cogitationum,  
6 o damnum grave, Clinia est sepulta, et  
7 hoc sub marmore clausa conquiescit.  
8 Di vobis faciant male, o tenebrae  
9 mortis, quae mihi Cliniam abstulistis.  
10 Ni me vos pariter brevi trahatis,

11 ni nos urna eadem tegat cinisque,  
 12 reddi ut ipse meae queam puellae,  
 13 et reddi ipsa suo queat poetae.

SE NULLAM, CLINIA MORTUA, AMARE VELLE.

H2\_43 v.1 Num cui Clinia me sinis puellae  
 2 aetatem hanc teneram vovere ? Num me  
 3 vitam vivere vis jubesque ut olim  
 4 in summo videam meo calore ?  
 5 Num transferre alio meos amores  
 6 permittis ? Jubeas licet sinasque  
 7 ipsum deligere alteram puellam,  
 8 istud non faciam. Cupido vexet,  
 9 pectus sollicitet Venus meum, me  
 10 nymphae dulcibus osculis fatigent,  
 11 et me vocibus excitent jocosis  
 12 formosae simul et simul pudicae,  
 13 et plenae ingenii et sagacitatis,  
 14 blandis lusibus ut premant trahantque  
 15 lautis muneribus solent puellae.  
 16 Post haec nulla meum torum videbit,  
 17 nec junget lateri latus. Sed ipse  
 18 qui te, Clinia, perdidi, et mea spe  
 19 falsus sum, nec amabo, nec me amore  
 20 frangi (sim juvenis licet tenerque)  
 21 dum vivam patiar. Meam ipsa Pallas  
 22 flammam corriget, esse nec putabo  
 23 quicquam dulcius aut prius, sonoram  
 24 quam pulsare lyram, immori et Camenis,  
 25 sed iis flebilibus tamen Camenis,  
 26 et qui te careo omnibus carere.

IDEM.

H2\_44 v.1 Certum est Clinia quod loquor, puella  
 2 nulla a carcere carcerem in secundum  
 3 me ducet, penitus mihi haec voluntas  
 4 insedit, nec eam Cupido franget.  
 5 Qui quamvis animis parum arta cautis  
 6 tendat vincula liberosque durum  
 7 cogat ferre jugum, meos tamen non  
 8 sensus amplius ille detinebit.  
 9 Nam si me paterer novo igne aduri,  
 10 prudens atque iterum sciens perirem.  
 11 Stulti est Clinia bis perire velle.  
 12 Caecum plus satis est semel fuisse.

## AD AMICOS.

H2\_45 v.1 Amici, rogo vos quot estis omnes,  
 2 omnes undique quotquot estis oro,  
 3 ad nostrum properate, adeste, luctum :  
 4 vos audite meas mei querelas,  
 5 amici, obsecro quotquot estis omnes,  
 6 omnes perspicite hunc meum dolorem,  
 7 semimortua suscitare membra,  
 8 nunc nunc pergite, sunt propinqua morti.  
 9 Nam justissima causa conquerendi,  
 10 vitae dimidium abstulit meae, quid  
 11 vitae dimidium loquor meae ? Immo  
 12 plus quam dimidium abstulit, relictum  
 13 atque id quod superest perit, meus ni  
 14 vestra langor ope auferatur. Omnes  
 15 vos lenite igitur meos dolores,  
 16 amici rogo quotquot estis omnes :  
 17 secus dispereo meique partem  
 18 plus quam dimidiam, vel ipse totum  
 19 ipsum me sequor, et meos amores.  
 20 Ne quis nesciat, ista conquerendi  
 21 valde urgens ratio est, et est dolendi  
 22 acris causa, mei <...> illi amores (vers lacuneux)  
 23 illa Clinia, Clinia illa nostra,  
 24 quam (verum ut fatear) puellam amabam,  
 25 plusquam quisquam aliam potest amare,  
 26 vel plusquam se, aliamque quisquam amarit,  
 27 rapta est, vae misero, mihi illa rapta est.  
 28 Est ne haec dicite quotquot estis, est ne  
 29 illa justior ansa conquerendi ?  
 30 Suntne fletibus hisce justiores :  
 31 flere quam dominam, suamque vitam ?  
 32 Si quis quid sit amor sciat, loquetur  
 33 me causa sine non queri, et dolere.

## CLINIAE SEPULTAE PROSOPOPOEIA.

H2\_46 v.1 Me raptam tibi quid gemis poeta ?  
 2 Fecisti ut raperer tuo ipse versu.  
 3 Quod sum mortua, mortua ipsa per te.  
 4 Quod caelo addita sum, addita ipsa per te.  
 5 Et si quid modo sentias doloris  
 6 quod te torqueat, hujus auctor ipse es,  
 7 ictu teque tuo, fero tuo ictu  
 8 laesisti, exitium et mihi attulisti.  
 9 Nam cum tu immodica usque ad astra ferres  
 10 nomen laude meum, meamque formam  
 11 permultis rationibus probares :  
 12 dii, dii, nec dubites, statim tibi me

13 invidere, suo polo et locarunt.  
 14 Quod ni carminibus tuis probasses  
 15 plusquam debueras tuae puellae  
 16 mores, corporis elegantiamque,  
 17 ereptam tibi me ipse non doleres,  
 18 sed vivam ante oculos tuos haberes,  
 19 et meo in gremio ut prius jaceres.

AD G. SCAEVAM, SE MAERORE NIHIL SCRIBERE POSSE.

H2\_47 v.1 Scaeva, pectoris optima o mei pars,  
 2 o suavissime Scaeva, mi meorum  
 3 candidissime Scaeva, nunc me iniquis  
 4 pro solamine quid necas querelis ?  
 5 Pressum funere Cliniae puellae,  
 6 perculsumque gravi dolore, quid me  
 7 velut plus satis arguis silentem ?  
 8 An me quaeso alieniore mente  
 9 abs te colligis atque suspicaris ?  
 10 Quod non Musa tibi, ut solebat ante,  
 11 carmen nunc ita det suum impolitum ?  
 12 Si solus numeris meae Camenae  
 13 priveris, quereris bono hercle jure ;  
 14 sin ex quo data versibus puella est,  
 15 scriptorum dederim nihil legendum  
 16 cuiquam quamlibet intimo meorum,  
 17 non est quod merito querare nostrum  
 18 mutatum in te animum esse. Perseverat  
 19 idem qui prius, immo Scaeva crescit,  
 20 et fit auctior in dies, modo hoc des,  
 21 summi crescere posse vim in te amoris.  
 22 Quare te rogo ne amplius queraris.  
 23 Nam defers mihi cum improbam querelam  
 24 (quod non Scaeva putas) meo dolori  
 25 addis ipse novum, o dolor dolorem,  
 26 vulnus vulneribus, malo malumque,  
 27 ac duras crucibus cruces molestis.  
 28 Non sum qualis eram Cupido cum me  
 29 scriptis flectere mollibus puellam,  
 30 artes cumque suas Venus docebat ;  
 31 nec sum qualis eram tuae domi cum  
 32 diversis pedibusque syllabisque  
 33 tecum claudere verba me juvabat.  
 34 Carmen vel facio canove nullum,  
 35 vel prorsus facio ipse luctuosum,  
 36 et totum redolens manum poetae  
 37 maestis, et dissimulare nescientis  
 38 tam cari capitis ruinam acerbam.  
 39 Quare parce, precor, precor. Mihi nunc  
 40 inter verba cadunt stylusque voxque.

41 Curis cum fuero expeditus, umquam  
 42 possim si tamen expeditus esse,  
 43 tempus dum mihi finiet dolorem,  
 44 si mollire modo hunc queat dolorem,  
 45 si Musae redeant vigorque visque,  
 46 ac desiderium ut prius canendi,  
 47 si mi dictet amor novam sepulto  
 48 luctu materiam novaeque flammae  
 49 in me quod potuit puella, possint.  
 50 Quod contingere spero posse numquam.  
 51 Tunc o tunc mihi reddito furore,  
 52 versus innumerabiles sonabo.

ANT. BELLAUDO.

H2\_48 v.1 Octobris mihi redditos ad idus,  
 2 mi Bellaude diserte, eos phaleucos  
 3 ad me quos dederas fuisse, laetor  
 4 una non ratione, sed profecto  
 5 multis. Primum, animi tui notarunt  
 6 candorem eximium atque singularem,  
 7 perspectum tamen ante sat superque  
 8 longa significatione amoris  
 9 in me praecipui atque sempiterni.  
 10 Posthaec, non nihil attulere secum,  
 11 quod me de interitu meae puellae  
 12 dilectae mihi Cliniae magis me  
 13 tristem, sollicitum, dolore justo  
 14 turbatum recrearet et levaret  
 15 partem non minimam mei doloris :  
 16 quo, ut plerique solent amore capti,  
 17 prudens atque sciens, volensque pectus  
 18 torquebam miserum, atque macerabam.  
 19 Nam qui luctisonum vale et Minervae  
 20 almae et virginibus sacris, modisque,  
 21 tempus dixeram in omne nec volebam  
 22 plectrum tangere nec lyram intueri,  
 23 nec navare operam stylo ut prius, nec  
 24 more ultra solito libros videre,  
 25 visis hendecasyllabis venustis,  
 26 perlectis quoque litteris, ferendas  
 27 quas ad me dederas, statim resumpsit  
 28 vires, consilium inde et institutum  
 29 fregi, ne immemorem tui putares,  
 30 dedissem nisi quod negare turpe  
 31 nostro incredibili et perenni amori.  
 32 Quare tot pedibusque syllabisque  
 33 clausos versibus hos repono versus,  
 34 id est rusticulos modos, tuisque  
 35 multum dissimiles, vocatione

36 nec dignos, scio, versuum, querelis  
 37 quos meme excrucians miser peregi,  
 38 ut e pectore pellerem dolores,  
 39 et votis facerem tuis satis, qui  
 40 a me tam ex animo, tuo petebas  
 41 carmen carmine. Sed quod ipse subdis,  
 42 ut quam nunc pateris sitim, liquore  
 43 fontis Aonii expleam, facis tu id  
 44 certe pro veteri tuo in me amore, at  
 45 qui quod non habeo dare ipse possum ?  
 46 Si possem dare quod rogas, faterer  
 47 nullum vivere me beatiorem.  
 48 Verum nunc sitio aridus, nec in me  
 49 in me undae Paphiae amplius redundant.  
 50 Phoebus quos dederat mihi liquores,  
 51 absorpsit tumulus, bibit sepulchrum,  
 52 hauserunt cineres piaae puellae,  
 53 quae siccum moriens suum reliquit  
 54 vatem, viribus omnibus carentem,  
 55 enervem, exanimum, atque destitutum  
 56 omni robore prorsus, arte, sensu.  
 57 Ipso denique spiritu, atque nervis.  
 58 Quod vero tribuis mihi, vetustis  
 59 aequans vatibus hos meos labores,  
 60 in me agnoscere non queo, nec ipso  
 61 dicto assentior hoc tuo, putoque  
 62 plane per nimium tuum in me amorem  
 63 falli in iudicio, atque caecutire.  
 64 Mi Bellaude igitur diserte, cessa  
 65 summum carminibus vocare vatem.  
 66 Et summum incipe me vocare amicum.

AD CLINIAM DEFUNCTAM CAL. JAN. DIE.

H2\_49 v.1 Eheu, Clinia, Clinia, heu, Calendae  
 2 tristes, quae merito meos adaugens  
 3 luctus, dum renovant graves dolores,  
 4 quos de morte tua tuli feramque  
 5 donec spiritus hoc reget cadaver.  
 6 Tempus nunc ubi, nunc ubi est, beabas  
 7 quo me muneribus tuis, vicissim  
 8 quo te muneribus meis beabam ?  
 9 Quo nobis violas, rosas, ligustra,  
 10 aut si quos imitata eras tua arte  
 11 flores, vel varias acu figuras,  
 12 vel si quid tenerae manus pararant,  
 13 mittebas ? Tibi quo dabam labores  
 14 dilectaeque sonos meae Thaliae ?  
 15 O nunc me miserum, o tuum poetam  
 16 oppressum lacrimis, procul remotam

17 a te, Clinia, turbidum o recursum  
 18 solis, quem sine te videre cogor.  
 19 Per nostros rogo mutuos amores,  
 20 servatamque tibi fidem, relabi  
 21 in terras hodie velis, puella  
 22 caelo digna licet, tuum aut poetam  
 23 qua ad caelum sit iter doce, ut fruisi  
 24 aeternis valeamus ambo donis.  
 25 Neutrum Clinia das, tuum ipsa saltem  
 26 cui munus dare me jubes, resciscam.

## AD SEIPSUM.

H2\_50 v.1 Vultei satis heus tuam puellam  
 2 luxisti, invenias modum querelis.  
 3 Et finem facias simul secundo  
 4 tuorum hendecasyllabum libello.

## SIBI IPSE RESPONDET.

H2\_51 v.1 Et rubigine conteruntur enses,  
 2 et molli lapides cavantur unda,  
 3 et tandem renuunt boves aratra,  
 4 et miles positus quiescit armis  
 5 multo membra labore jamque fractus,  
 6 et cuncti inveniunt malis quietem,  
 7 et finem invenio meo libello,  
 8 sed non invenio modum dolori,  
 9 nec si Nestorei mihi dabuntur  
 10 anni, finiet has dies querelas,  
 11 solvet nulla meos senecta luctus.  
 12 Sic visum est superis, meumque fatum est.

## AD JO. DAMPETRUM.

H2\_52 v.1 Si umquam, Dampetre, carmen expolitur  
 2 a tuo ingenio antea est profectum  
 3 ut est, te rogo per novem deas, per  
 4 Phoebum perque deam artium Minervam,  
 5 certum denique per tuum in me amorem,  
 6 ut paucos mihi commodes phaleucos.  
 7 Id cur, Dampetre, te rogem requiris ?  
 8 Causa est hendecasyllabi meorum  
 9 adjuncti hendecasyllabum libellis ;  
 10 docti inquam hendecasyllabi tui, illi  
 11 Andino eloquio elegantiores,  
 12 Catullique jocis venustiores,  
 13 ad meum rapiunt statim poema



14 lectorem et tetricum, et minus severum,  
 15 ac lucem tenebris dabunt meis. Nam  
 16 Phaleucos quoties volent videre  
 17 libris praepositos meis tuos, qui  
 18 possis quid genere hoc sciunt, et ipsi  
 19 si non perlegere, attamen volentes  
 20 nolentes terere, et manu tenere  
 21 cogentur comites meos libellos  
 22 doctorum hendecasyllabum tuorum.  
 23 Illud da mihi quod peto, rogari  
 24 a me nec patiare te diu, jam  
 25 longas tolle moras, mei phaleuci  
 26 exspectant, moneo, tuos phaleucos,  
 27 et servant tibi paginas priores,  
 28 prelum, Dampetre, non queo morari.  
 29 Festines igitur dare aut negare.

SECUNDI HENDECASYLLABORUM FINIS.

\*\*\*\*\*

JO. VULTEII RHEMENSIS HENDECASYLLABORUM LIBER TERTIUS.

(1209 vers)

AD F. BOHERUM MACLO. EPISCOPUM MAECENATEM.

H3\_1 v.1 Arae Macloviae sacer sacerdos,  
 2 cujus clarus Eques fait pater, qui  
 3 Regum tempore quattuor, beate  
 4 vixit, nec minus ille gloriose,  
 5 horum res vario in statu gubernans,  
 6 seu Mars hos premeret periculosus,

7        seu pacis placidae quies foveret.  
 8        Clarus militiae domique clarus,  
 9        quaestor maximus omniumque primus.  
 10       Regi commodus usque patriaeque.  
 11       Ad sui rapiens trahensque amorem  
 12       cunctos, concilians sibi favorem  
 13       vere nobilium infimaeque plebis.  
 14       Nae tu persimilis tuo parenti,  
 15       vita et moribus esse judicaris.  
 16       Quo fit me facile ut putem beatum,  
 17       quod sors te dederit mihi patronum,  
 18       quod sors me dederit tibi poetam.  
 19       Essem et plane odio Vatiniano  
 20       dignus, te nisi dicerem patronum.  
 21       Cum meme ipse tuum voces poetam.  
 22       Et me (quae tua lenitudo) numquam  
 23       a tuis oculis velis remotum.  
 24       Quare ut significem tibi obligatum,  
 25       hac quam suppeditas mihi quiete,  
 26       compono tibi quem dicem libellum.  
 27       Quem fronte accipias uti serena  
 28       a tibi, obsecro, dedito poeta.

## AD EUMDEM.

H3\_2    v.1    Hic liber tuus est meusque, quem tum  
           2        et lusi et cecini et tibi dicavi,  
           3        cum larga citharam manu foveres,  
           4        et meme officiis inusitatis,  
           5        (praeditum licet eruditione  
           6        parva) ad Pieridum sacra excitares,  
           7        et esses, quod Horatio merenti  
           8        Maecenas fuit, id mihi immerenti.  
           9        Dicis : "Non tuus est, sed ille totus  
 10        Vultei meus est." nego. Probas sic :  
 11        "Maecenas tibi sum. Volo. Poeta es  
 12        meus. Cedo igitur tibi patronus  
 13        cum sim, sisque mihi poeta, fas est,  
 14        meus sit liber, ut mei poetae."  
 15        Victum sentio me, librumque totum  
 16        jure illum fateor tuum esse, Praesul.  
 17        Et per me licet haudque in hoc repugno,  
 18        isti ut hendecasyllabi vocentur  
 19        Francisci hendecasyllabi Boheri,  
 20        Christi munere Episcopi, patroni  
 21        Vultei. Hoc mihi das ? Meum poema  
 22        et tanti facis aestimasque tanti  
 23        ut tuum esse velis, velisque dici ?  
 24        Me obstrictum tibi, sic, patrone, reddis,  
 25        semper in tuo ut aere sim futurus,

26 solvendo ipse queam tibi nec esse.

AD GASNERIUM.

H3\_3 v.1 Gasneri mihi care, dic, amabo,  
 2 Musae num Domino meae placebit  
 3 illud quod volo dedicare carmen ?  
 4 Me nosti melius quid esse gratum  
 5 aut illi solet esse, quid molestum ;  
 6 ungues namque tuos velut, patroni  
 7 nostri consilium tenesque habesque.  
 8 Illud si cupiat sibi dicari,  
 9 illi percipio esse dedicatum.  
 10 Si nolit, minuam, aut dabo exedendum  
 11 blattis, vel potero alteri dicare.  
 12 Facto quid sit opus sciam, poema  
 13 Gasneri Domino tuo, meoque.  
 14 Malo non dare quam molestus esse.  
 15 Dic verum auribus et nihil meis des :  
 16 Gasneri mihi care, dic amabo.  
 17 Tuum consilium audiam libenter.

AD REMIGIUM RUFFUM.

H3\_4 v.1 Optanti et cupido mihi, obtigit quod  
 2 optabam et cupiebam ; at ipse numquam  
 3 sperabam fore : Ruffe, quid sit istud  
 4 urges dicere. Fidum amicum habere  
 5 te optabam ipse quidem, attamen putabam  
 6 esse hoc difficile admodum. Te amicum  
 7 cujus sit penitus fides probata  
 8 nactus sum. Melius mihi quid optem ?  
 9 Dii semper rogo, sic adeste votis.

DE MORTE BRIXII, AD MACRINUM.

H3\_5 v.1 Brixium tibi, Brixium mihi, o mors  
 2 importuna, Macrine, Brixiumque  
 3 Gallis abstulit omnibus. Poetam  
 4 ausim dicere non minus venustum  
 5 suo tempore quam fuit Tibullus,  
 6 suo tempore quamque Martialis,  
 7 nec confusa magis fuit Tibullo  
 8 Nasonis moriente Musa, maestus  
 9 de cari mage morte Martialis  
 10 Plinius junior fuit nec umquam :  
 11 fatum quam fero Brixii moleste.  
 12 Hoc te num pariter, Macrine, funus

13 urget, sollicitat premitque amici ?  
 14 Qui multis veniat licet gemendus,  
 15 debet flebilior tamen nec uni  
 16 esse quam tibi. Num tuos ocellos  
 17 foedas Gallia fletibus ? Dolori  
 18 nonne est hoc tibi Brixio carere ?  
 19 Seu fles, sive minus fleas poetam  
 20 Brixium indigenam, tamen die quo  
 21 mors tibi eripuit maligna, eadem  
 22 hora, decidit ex tua corolla  
 23 flos pulcherrimus omnium tuorum.  
 24 Nos communem igitur, Macrine, amicum,  
 25 vatem nos Elego sono, sepultum  
 26 ploremus, lacrimas tuaeque proli  
 27 ut tu Gallia deneges, caveto.

## AD BOUGUERIUM.

H3\_6 v.1 Si sint carmina doctiora Scaevae  
 2 illis carminibus tuis, mihi quae  
 3 sunt doctissima visa sic necesse est,  
 4 summum scilicet esse te poetam,  
 5 Bougueri, archipoetam et esse Scaevam.

## IN CILONUM POLYPOSUM.

H3\_7 v.1 Si tecum dominam velis cubare,  
 2 vel naso careas, vel illa oportet.

## IN HOCATIUM MISERUM.

H3\_8 v.1 Res angusta domi quibus, quibus nil  
 2 in arca est, vacua est quibus crumena,  
 3 et venter pecorum que jugerumque,  
 4 argentique gravis capax, acerbum  
 5 num debent subitum putare funus ?  
 6 Num de morte queri quibus senectus  
 7 plus est praepropero timenda fato ?  
 8 Horum de numero miserrimorum  
 9 perditissimus omniumque primus,  
 10 et summus tamen es, nec ipse vita hac  
 11 (hanc vitam modo si vocare possim)  
 12 quicquam gratius esse posse credis.  
 13 Non est in loculis quadrans tuis, quem  
 14 pro portu objicias seni Charonti.  
 15 In ventrem, tibi quod pater reliquit,  
 16 mersisti, nec habes, gulam amplius quo  
 17 poscis pascere dentibusque longis

18 tam multa et rabida fame, negatum est  
 19 quod des, permolere ut queant : habes nec  
 20 pilum, dicere quem tuum esse possis.  
 21 Debes remque animamque jam culinae.  
 22 Et sic vivere, quam perire mavis ?  
 23 Longae incommoda nec times senectae ?  
 24 Quid est hoc mihi, quaeso, dic, Hocaci,  
 25 insanire nisi est ? Id esse credo.

AD COHORIIUM ABSTEMIUM.

H3\_9 v.1 Tantum abest ut ames merum, Gohori,  
 2 ejus ut sit odor tibi insuavis.  
 3 Miror (crede mihi) poeta cum sis,  
 4 usum spernere te meri atque odorem,  
 5 et vinum esse tibi quod est venenum.  
 6 Flacco iudice vatibusque cunctis,  
 7 vini quod satis est prius bibisse  
 8 sacros atque decet liquore vates,  
 9 Bacchi gaudia vera suscitantis  
 10 omnes incaluisse, quam poema  
 11 possint scribere vividum et corona  
 12 dignum, quodque sequens loquatur aetas.  
 13 Quare, lux mea, mi Gohori, amabo,  
 14 non abstemius esse perseveres,  
 15 cesses scribere vel modos. Aquae nam  
 16 potor non potes, et poeta dici.

AD MACRINUM.

H3\_10 v.1 Scis cur ipse rear perire vates  
 2 Nullo tempore ? Dum tuum poema  
 3 mens et consilium est mihi videndi,  
 4 forsitan tunc mea scripta devorandi  
 5 inest et tibi et alteri voluntas.  
 6 Id fecisse alios putasne vates,  
 7 facturos quoque, teque meque adeptis  
 8 vatium de numero pio piorum ?  
 9 Fiet quod loquor, o Macrine, fiet.  
 10 Ars ipso artifice haud perit sepulto.

AD MAECENATEM.

H3\_11 v.1 Etsi te tua, mi patrone, virtus  
 2 diis miscet superis, tuique mores,  
 3 forma simplicitasque comitasque,  
 4 census, gratia, sanguis, ordo, munus,  
 5 in rebus bene summa vis agendis,

6 sanum consilium, atque singularis  
7 diligentia providumque pectus,  
8 doctrinae studium severioris,  
9 adhaec cognitio ampla literarum,  
10 naturae bonitas, torus quietus,  
11 ab aulae strepitu procul vagantis,  
12 propensa inque lyrae duces voluntas,  
13 secernunt populo : satisque per te  
14 qui laudum es cumulo beatus omni,  
15 Boherum facis enitere nomen.  
16 Nec illi sit opus rudi poeta,  
17 cui Musas habet obsequentiores,  
18 cui ex voto famulatur alma Pallas,  
19 seu vincto pede, seu velit soluto  
20 quicquam scribere, quod probent nepotes.  
21 Non obstat tamen ista causa, Praesul,  
22 Musae o praesidium paterque nostrae,  
23 quin te nunc celebrem meo, tuo immo  
24 versu. Nec mihi jam queo imperare,  
25 quin tali mihi glorier patrono,  
26 hero inquam mihi glorier Bohero.  
27 Qui a me munifica atque liberali  
28 dextra pauperiem fugas jubesque  
29 duras pellere cogitationes,  
30 vel si quid noceat meae lucernae,  
31 quo possim numeris minus vacare.  
32 Qui das otia, qui paras recessus  
33 dulces ad Ligerim meis Camenis.  
34 Solus qui imperium facis malignae  
35 fortunae ut faciam pili aestimemque,  
36 insanas et opes pede ipse calcem.  
37 Regum das mihi rideam potentum  
38 aedes, stemmata, sceptra, jussa, luxus,  
39 vulgi murmura, plebis ora vanae.  
40 Et miracula das modis petam, vel  
41 spernam. Limina das beatiorum  
42 vitem, das fugiam patrum tumentes  
43 fastus, litigiosa jura, rixas,  
44 clamores quoque negligam senatus.  
45 Das quae castra sequor vacent cruore.  
46 Instans das timeat nihil senectus.  
47 Qui das denique cuncta quae requiro,  
48 vel qui das mihi plura quam requiro.  
49 Nae ingratus, o patrone, eorum  
50 essem quos alit ipfa terra, dignus  
51 essem omni pariter notatione,  
52 si tot tantaque liberalitatis  
53 in me munera praedicare cunctis  
54 cessarem. Mea Musa carmen istud  
55 usurpes igitur canasque mecum,  
56 et dic terque quaterque voce summa :

57 quod scribo et meditor, facis, Bohere,  
58 quod vivo et valeo, facis, patrone.

MITTIT REMI. RUFFO LIBELLUM.

H3\_12 v.1 Mitto, Ruffe, tibi meum poema,  
2 limatum haud tamen haudque perpolitum,  
3 ut tu sat poteris legens videre :  
4 quod lectum cupio statim perire,  
5 nec volare per ora doctiorum,  
6 in nullasque alias manus venire.  
7 Id des, Ruffe, dabis quod est honestum.

AD PEROSIUM CAECUM, CAECITATEM MALUM NON ESSE.

H3\_13 v.1 Quid tu, vir sapiens et erudite,  
2 sensu fers animo gravi carere  
3 visus ? Horribilem esse caecitatem  
4 credis, te miserum, aut queant beatum  
5 tamquam reddere lumina ipsa ? Tecum  
6 hac de re volo disputare. Primum,  
7 cur captum esse oculis malum putas ? Quod  
8 voluptate mihi (audio) est carendum  
9 summa. Non ita. Namque ut est voluptas  
10 gustandi, olfaciendi et audiendi,  
11 tangendi quoque parte non in illa,  
12 qua sentire datur, nec in fenestra  
13 nostri pectoris esse sic voluptas  
14 possit. Nam accipit ista quae videmus  
15 mens, at non oculus viri, loquor de  
16 docto, de sapiente, de perito,  
17 qualem te dubitabit esse nullus,  
18 illi iudicium modo adsit aequum.  
19 Multis namque animo modis licebit  
20 delectari etiam negante visu.  
21 Non est vivere res videre, verum  
22 vere est vivere mente cogitare.  
23 Nec prudens oculos vir advocatos  
24 ferme adfert, meditansve cogitansve.  
25 Si nox multa etenim minus beatam  
26 nobis vitam adimit, dies quid ipso  
27 par nocti hanc adimat ? Rogo, audiamus  
28 caecus Antipater quod ille dixit,  
29 paulo obscenius id licet sit, ejus  
30 dum flerent mulierculae orbitatem,  
31 quid, inquit, facitis ? Carere noctem  
32 voluptate sua arbitramini ? Ecquid  
33 dicam de vetere Appio ? Suo qui  
34 in casu officio adfuisse semper

35 fertur, tempore defuisse nullo ?  
 36 Drusi quid memorem domum exstitisse  
 37 consultoribus usque et usque plenam ?  
 38 Caecus consilium dabat videnti,  
 39 caeci consilium videns amabat,  
 40 caecus plusque videns erat vidente.  
 41 Non Cnaeo Aufidio sacrum sonatum  
 42 ornatum legimus fuisse ? Eundem  
 43 Graecorum historiam labore multo  
 44 scripsisse ? Ille tamen locum senatus  
 45 numquam viderat, Atticasque partes.  
 46 Marcus, hem, Cicero ille nonne narrat,  
 47 quod vix credibile est, utroque captum  
 48 domi secum habuisse lumine unum,  
 49 nomen cui Diodorus esset, omnem  
 50 qui praeter sapientiam sophorum,  
 51 praeter dogmata dura Stoicorum,  
 52 quod geometra id explicare posset ?  
 53 Quidam Asclepiadem rogabat in quo  
 54 caecitas foret utilis, puello  
 55 ille : "Ut sim comitator." Quid addam  
 56 caecum Democritum putasse mentis  
 57 aspectu ipso aciem nihil juvari,  
 58 turbari at potius, premi, impediri ?  
 59 Fingunt Tiresiam augurem poetae  
 60 et clarum et sapientem, at haud querentem  
 61 inducunt, videat nihil quod ille.  
 62 Vatum quid referam optimum, optimorum  
 63 summum, Graecia quem dedit, fuisse  
 64 caecum ? Quo meliusque clariusque,  
 65 quis pugnas, acies, locos, figuras ?  
 66 Quis naturam hominum, quis et ferarum  
 67 vidit, vel poterit videre posthac ?  
 68 Nonne fecit Homerus ille, ut ista  
 69 quae non viderit arte cerneremus ?  
 70 Multos praetereo libens tibi, quos  
 71 possem commemorare tam Latinos,  
 72 quam Graecos, quibus id fuit negatum,  
 73 quod tam fers animo tibi esse iniquo.  
 74 Ipsam fortiter usque caecitatem  
 75 passi sunt tamen. Haud feras moleste  
 76 ergo hanc, te rogo, doctus Ethnicorum  
 77 exemplo, tibi nec putes beatam  
 78 vitam lumina comparare posse.

DE CUPIDINE ET PRIAPO.

H3\_14 v.1 Si casu moreretur et periret  
 2 infans aliger et deus Cupido,  
 3 quis nam deligeretur in locum ejus,



4 ex aula supera Jovis tonantis ?  
 5 Numquid Juppiter ipse rex deorum ?  
 6 Num Mars perpetuos amans tumultus ?  
 7 Num Dis fraudibus et dolis redundans ?  
 8 Num Phoebus numeri parens noveni ?  
 9 Num Neptunus aquas regens tridente ?  
 10 Num vento Aeolus imperans sonoro ?  
 11 Num Bacchus recreans liquore mentes ?  
 12 Numquid Mercurius deum minister ?  
 13 Horum nemo locum teneret ejus.  
 14 Sed tu, summe pater Priape, custos  
 15 hortorum, pueri vicem obtineres.  
 16 Nam tu corda facis puellularum,  
 17 in corda ut volitent suorum amantum  
 18 alis vel sine, quod nequit Cupido.

## AD CRISPAM.

H3\_15 v.1 Olim quae fuit ore tam venusto,  
 2 pro custode phalangem ut illa haberet,  
 3 nulli a te similis fuit, magis nec  
 4 a suo Paride est amata amico,  
 5 quam tu iudicio omnium aestimaris.  
 6 In re hac dissimiles tamen duae estis :  
 7 quod nimis Paridem haec amicum amarit,  
 8 culpata est ; nihilum quod ipsa amaris.

## CRISPA AMANTI.

H3\_16 v.1 Ipsa quod fuerim tui miserta  
 2 si te causa facit fideiorem,  
 3 belle est ; frangere sed fidem, caveto.  
 4 Nam si quid pereat fidelitatis,  
 5 sciam aut munere te fuisse abusum,  
 6 quo se qui bene amant putant beatos,  
 7 minanti mihi, crede, vapulabis,  
 8 et quae sum modo blandior columba,  
 9 saeva ero tibi saevior leaena.

## CRISPA SE AMORI RESTITISSE QUERITUR.

H3\_17 v.1 Me errasse, ah, graviter scio, ipsa Amori  
 2 cum resistere sum ausa praepotenti.  
 3 Facti paenitet arguoque culpam.  
 4 Cujus tela homines timentque divi,  
 5 huic resistere velle nonne stultum est ?  
 6 Cor meum ille suo impetu occupavit.  
 7 Victum, nec mora, fervido igne adussit.

8 Ah quod debuerat Cupido fecit  
9 vi capta urbe, facit quod ille, victor.

AD CRISPAM.

H3\_18 v.1 Dicis multivolum esse me poetam.  
2 Sed dico omnivolam esse te puellam.  
3 Pergis me omnibonum vocare vatem.  
4 Pergo te omnimalam vocare Crispam.

DE TROPAEO CUPIDINI ERECTO, AD MOLINIUM.

H3\_19 v.1 Aptari voluit sibi tropaeum  
2 Amor penniger, ut notam suorum  
3 gestorum. Deus auctor universi,  
4 Morum regula, in hoc suum reliqui,  
5 fulmen sub piceaque pallidaque  
6 nube. Martis in hoc ducis cruenti  
7 haerent arma locis minuta multis,  
8 truncae et cum clipeo sagittae. In illo  
9 Neptunusque suum videt tridentem,  
10 clavam terribilem Hercules, Apollo  
11 et arcum et pharetram, cados Lyaeus  
12 pendentes videt amphorasque fixas.  
13 O stultissime, qui vides amorem  
14 de diis exuvias referre victis,  
15 num tu credere, num tu imaginari  
16 audes, te arte tua cavere posse  
17 victoris pueri manus deorum ?

DE SE ET CUPIDINE.

H3\_20 v.1 Me in nassam ut traheret suam Cupido  
2 incauto laqueum (ut solet) paravit.  
3 Ut me compede sensit alligatum,  
4 quo me non poteram explicare, me tunc  
5 a me separat a meisque, cogens,  
6 quae contraria sunt mihi, haec amare.  
7 Hunc, lassus misero jugo asperisque  
8 flammis, pectore sed fremens anhelos,  
9 verbis talibus alloquor : "Cupido,  
10 si sic excipias tuos, quis, o quis,  
11 ad te, ni cupiens perire, curret ?  
12 Mores si puer hos habes petulcos,  
13 quid tu vir facies viris Cupido ?"

## AD GASNERIUM.

H3\_21 v.1 Gasneri, mea quanta, quanta nunc est  
 2 paupertas, fidei tamen memor sum.  
 3 Et quanta est sapientia, ipse curo  
 4 ne sors improba me petat merentem.  
 5 Sed, quicquid studeamque moliarque,  
 6 me vexat, sequitur, premit, fatigas  
 7 quocumque, undique, ubique et undecumque.  
 8 Et solum arbitror hanc fuisse natam,  
 9 quid posset, faceret periculum ut in me.  
 10 Fit, quod fit tamen, hoc in immerentem.

## IN QUEMDAM POETAM.

H3\_22 v.1 Cum dico tibi sic, "poeta, salve,  
 2 bonorum male carminum", salutem  
 3 non fers. Dico igitur "poeta, salve,  
 4 malorum bone versuum, nec id fers.  
 5 Mutanda est ratio : "Poeta, salve,  
 6 malorum male carminum". Salutem  
 7 hac, quaeris tu aliam benigniorem ?  
 8 Qui quicquid loqueris canisque, laudant  
 9 dicent, non ego sic, "Poeta, salve,  
 10 bonorum bone versuum poeta.

## AD JO. PICUM PARIS.

H3\_23 v.1 Qui vivensque vidensque sentiensque,  
 2 qui prudensque sciensque cogitansque  
 3 se perdit misere suosque cives,  
 4 illum num poteris vocare Regem ?  
 5 Tales, Pice, tamen vides in orbe  
 6 versari, et populo Dei imperare,  
 7 qui se nomine civium flagellis  
 8 caedi fert patiturque vulnerari,  
 9 occidi, inque crucem trahi, oro, Pice,  
 10 illum num poteris negare Regem ?  
 11 Non regnat tamen hoc in orbe talis.  
 12 Talis ? Vir bone, dicis, hoc in orbe  
 13 rebus exposito malis, videre,  
 14 te ne posse putas videre talem,  
 15 qualis Christus erat salutis auctor ?  
 16 Hujus mortua mater est, quod aiunt.

## IN QUEMDAM POETAM.

H3\_24 v.1 Dum tu Borbonium mihi dicatis

2 ornas versibus in tuis libellis,  
 3 et illi tribuis quod ante nobis,  
 4 quod vulgi istud agis frequens in ore est,  
 5 Paulum ut veste tegas, Petrum ipse nudas.

AD LAUDIUM.

H3\_25 v.1 Hac causa est tibi, Ruffa cara, quod dat ;  
 2 erat, Clinia cara, quod negaret.  
 3 Ergo tam similis tibi ipse non sum,  
 4 hoc quam dissimile est dare et negare.

EPITAPH. MONISSI NALUALOVINI.

H3\_26 v.1 Qui nil esse Deum putavit umquam,  
 2 vitae gaudia nec beatioris  
 3 ulla credidit, hoc jacens sepulchro,  
 4 haec se mortuus obtinere dicit,  
 5 quae ne vivus diutius quidem ille  
 6 habebat, sibi quam frui daretur.  
 7 Ergo quis neget hic bovem jacere ?

DE PNONA RUSTICA.

H3\_27 v.1 Pnona crimina cuncta curioni,  
 2 dum commissa piacula et fateri  
 3 jussa est, se graviter suaque culpa  
 4 peccasse ingenuo ore confitetur  
 5 palmis supplicibus, genuque flexo,  
 6 quando, qua ratione, quo loco, quo  
 7 pacto, vel quoties, quibus dolisve  
 8 iratum sibi fecerit tonantem  
 9 narrans, Curio corripit, jubetque  
 10 pergat dicere, nil sciens omittat.  
 11 Celandum nihil esse. Pnona clamat  
 12 nil prorsus superesse, singulatim  
 13 dixisse omnia. Curio urget. Illa  
 14 flens tandem et lacrimans manuque pectus  
 15 tundens : "Flagitium decem quod ante  
 16 annos plusve minusve perpetravi,  
 17 o mi Curio, distuli in diem istum,  
 18 umquam nec tibi sum ausa confiteri.  
 19 Nec hujus veniam impetrare posse  
 20 speravi sceleris, Deum nimis quo  
 21 offendi." Scelus horridum ille ab illa  
 22 exspectans, animo bono esse suadet,  
 23 prorsus tamque nihil docet nefandum,  
 24 quod clementia non Dei remittat.

25 Victa tum tremulo ore sic locuta est,  
 26 pressis conscia murmurans labellis :  
 27 "In templo o dolor, o pudor, pepedi."  
 28 "Istud grande nefas (statim ille) Divum  
 29 laesisti o nimium misella numen,  
 30 pro quo a te exigere est necesse poenas."  
 31 "Sic est, Curio, sum pati parata  
 32 duras, horribiles, graves, molestas,  
 33 crimen si modo possit expiari  
 34 tam dirum." "Timeas nihil, benigne  
 35 tecum nec dubites agam, remittit  
 36 Christus cetera, crimen hoc remitto  
 37 quod tu maximum et omnium putasti  
 38 semper pessimum. At id volo mihi ut des,  
 39 tete paeniteat mali Deumque  
 40 in templum quoties voles venire,  
 41 pressis non nisi clunibus salutes."

## AD DOREUM.

H3\_28 v.1 Nostin semina litium ? Tria haec sunt,  
 2 ut fertur : mulier canesque avesque,  
 3 fere semina litium malarum.

## EPITAPH. TRIBULI.

H3\_29 v.1 Mundum dum morior prius relinquo,  
 2 quam veni scierim quid actum in ipsum.

## ALIUD.

H3\_30 v.1 Vixi morio, regibusque gratus  
 2 solo hoc nomine : viso num futurus  
 3 regum morio sim Jovi supremo.

## IN LUCIANI SECTATOREM.

H3\_31 v.1 O spurco ingenio scelus, malorum  
 2 cultor, nequitiae seges, deorum  
 3 osor, quae tibi comprecere flagella  
 4 audi. Primum, inimica lingua vero  
 5 culos, ulcera, pustulas, venena,  
 6 ficos, menstrua, mentulas, luparum  
 7 et cunnum et saniem gravemque tabum,  
 8 et pestes, vomitusque pestilentum,  
 9 lingat denique sordidum atque foedum  
 10 quicquid colligi in orbe possit, illa

11 posthaec vulturiis resecta detur.  
12 Dentes carpere cum volent cibum, illi  
13 porci stercorebus, vel esse si quid  
14 iis immundius aut minus suave  
15 possit, iisque recens ad id cacatis  
16 vescantur, sed et ante dentiant quam  
17 illas delicias diu petitas  
18 attingant. Rabieque sempiterna  
19 te noctes crucient, diesque, tandem,  
20 illos concutiant manus molestae,  
21 et vi sedibus a suis repellant ;  
22 nec omnes tamen exspuas simul, sed  
23 hoc anno alterum, et alterum sequenti,  
24 donec nullus in ore dens sit. Ipse  
25 nil prodesse tibi queatque gustus,  
26 in rebus nisi sordidis vorandis.  
27 Umbrae Tartareae, cruces, rotae, ignes,  
28 larvae, fulgura, daemones Averni,  
29 pallentes Erebi deae, chimarae,  
30 et omnes Furiae, horridaeque Parcae,  
31 visum sollicitent tuum, inde corvi  
32 effossos oculos vorent. Tuae aures  
33 surdae sint nisi cum subisse poenas  
34 stultae discipulos scholae audias, vel  
35 hos debere brevi subire, firma  
36 et vox haec erit una in orbe toto.  
37 Tandem carnificis manu cruenta  
38 scissae illae geminae, hostio ac fenestrae  
39 figantur, foveant putresque muscas.  
40 Nares hoc oleantque sentiantque  
41 id, Bassam quod olere Martialis  
42 dixit. Vulnere postea haud honesto  
43 truncentur. Digitis tuis nec umquam  
44 quicquam tangere vel tenere possis,  
45 quin sit mortiferum tibi. Canes cor,  
46 intestina lupi, caput leones,  
47 tigris feta jecur secet, capilli  
48 in angues, digiti pedum in colubros  
49 vertantur manuumque. Dein pusilli  
50 vermes cetera membra conterant. At  
51 immortalem animam tuam perire  
52 quam cum corpore praedicas docesque,  
53 tormenta haec maneant, quibus nocentum  
54 manes Tisiphone quatit, nec ullus  
55 poenae terminus adsit, aut dolori.  
56 Et hoc perpetuo intones boatu,  
57 heu sic torqueor, obruorque summi  
58 quod risi Domini Deique vires.  
59 A me discite quam periculosum est,  
60 a me discite dum licet sodales,  
61 quam non tutum odio calumniaque

62 irritare Deum orbis universi.

GER. BRIXII EPITAPH.

H3\_32 v.1 Plora, Gallia, Brixium poetam,  
 2 qui plorare suo tuos solebat  
 3 cives carmine docto et erudito.  
 4 Huic debes lacrimas bono poetae,  
 5 huic debes dare mutuos dolores.  
 6 Dignus Brixius hercle talione est.  
 7 Quem tu, Gallia, ni fleas humatum,  
 8 hunc nec sit grave perdidisse, mortem  
 9 cujus, dic mihi, jam fleas poetae ?

ALIUD.

H3\_33 v.1 Vultus induite horridos Camenae,  
 2 vatum de grege palma Gallicorum,  
 3 notus Brixius, ille Brixius (sed  
 4 plura dicere non sinit dolor, quem  
 5 de ejus funere sustinere cogor).  
 6 Ah, vita posuit lyram relictam.  
 7 Atras induite o stolas Camenae.

DE LAVESIO.

H3\_34 v.1 Quidam te viridi occidisse in aevo  
 2 credunt, atque dolent malo veneno  
 3 exhausto. Ast alii tuae ruinae  
 4 causas objiciunt modo has modo illas,  
 5 certi de interitu tuo haud habentes  
 6 quicquam credere quod queant, sed illos  
 7 prorsus quaerere nil juvat modum, quo  
 8 ereptus fueris. Sed est dolendum  
 9 quod sis in viridi sepultus aevo.

DE HOVILIO LIBIDINOSO.

H3\_35 v.1 Si verbum vetus, omne quod quidem tu  
 2 in tristi, jubet esse id exedendum,  
 3 jam te, non doleas, lapis quod iste  
 4 exsculptus tegat. Hoc adusque tempus  
 5 vixisses, nisi tu tua occidisses  
 6 culpa. Quod loquor id potes negare ?  
 7 Pro me, quo tegeris lapis loquetur :  
 8 clamabunt pueri, lupae, popinae.

## IN EUMDEM.

H3\_36 v.1 Quem saxum premit hoc, nihil putatur  
 2 fecisse utile, nilque comprobandum,  
 3 ni quod mortuus est, domi relinquens  
 4 natos dissimiles malo parenti.

## EJUSDEM EPITAPH.

H3\_37 v.1 Natorum pater hic malum bonorum,  
 2 ne corrumperet hos fuit sepultus.

## PAULI PONTIF. AD F. ET C. REGES, PROSOPOPOEIA.

H3\_38 v.1 Reges magnanimi, quibus potestas  
 2 turbae credita summa Christianae est  
 3 mecum, cui voluit polo sub ipso  
 4 id parere quod est, Deus deorum,  
 5 Rex Regum, superae imperator aulae,  
 6 externum nisi tela nos in hostem  
 7 regnatorem Asiae, impium, minacem,  
 8 vertamus, sceleratam ab orbe gentem  
 9 pellamus nisi vosque meque perdet,  
 10 nostras barbarus et tenebit arces.  
 11 In templis stabulabitur deorum  
 12 sanctae hostis fidei, sacris revellet  
 13 divorum simulacra cuncta ab aris,  
 14 Dis spectantibus ignibus daturus,  
 15 fana, templa, adytus laresque eorum.  
 16 Et nunc Arae ubi sunt, seges quotannis  
 17 spicas agricolae suo reponet.  
 18 Pinguis sanguine terra Christiano  
 19 fiet, qualis erat Phrygum alta Troja  
 20 disjecta Argolicum ducum lacertis,  
 21 captivo bove dum solum ipsum araret  
 22 victor incola, jam domos tegente  
 23 herba et semisepulta dum feriret  
 24 vomer membra virum, Latina talis  
 25 urbs fiet, prohibentibusque nullis  
 26 hic solus domitor trium, per urbes  
 27 Hispanas, Latiasque, Gallicasque  
 28 regnabit, nisi in hunc parentur arma.  
 29 Illa ergo properet dies, simul qua  
 30 sancto foedere pacis alligati,  
 31 hostes in medios statim ruamus,  
 32 jungamusque opulenta regna regnis.  
 33 Expugnata Asia, hoste Christiano  
 34 devicto, egregiis favebit ille



35 coeptis, quo duce nostra bella fient.  
 36 Id fiat nisi, vi viam parabit  
 37 in nostra atria et in domos superbas,  
 38 summum in tres odium, furorque Turcae.  
 39 Stabunt praecipites sub astra turrets  
 40 eductae, penetralia et patescent  
 41 majorum canibus lupisque. Coget  
 42 moliri attonitos fugam, et latebras  
 43 vis nos quaerere Turcicusque terror.  
 44 Multo et vulnere vosque meque perdet.  
 45 Ne non vos monitos fuisse posthac  
 46 dicatis, moneo, rogo, petoque,  
 47 ut si qua est pietas duobus, ejus  
 48 vos nunc permoveant decusque honosque,  
 49 ultro qui periit crucisque durae est  
 50 passus vulnera, pro salute nostra.  
 51 Vocem negligitis meam ? Cadentem  
 52 ulcisci patriam nec ambo vultis ?  
 53 Ejectos solio, domo carentes,  
 54 parvo tempore vosque, meque perdet  
 55 hostis Christigeni appetens cruoris.

AD PAUL. PONT. FRANC. ET CAR. REGES.

H3\_39 v.1 Vos tres si liget, ut ligare debet  
 2 mens una, unus amor, fides et una,  
 3 ulla nec violabile arte vinclum  
 4 nodo perstabili, hocque Christiano,  
 5 regno quis poterit nocere Christi ?  
 6 Cymbam mergere quisque Christianam ?  
 7 Nullus, hercule, nullus, at secundo  
 8 fient omnia temperata cursu.  
 9 Contra, si quibus orbis universus  
 10 paret, conveniat minus, nec una  
 11 adsit mens tribus, una nec voluntas,  
 12 quid respublica, quaeso Christiana  
 13 in suum gladios vibrabit hostem ?  
 14 Ii puppis quibus atque prora navis  
 15 est concredita, fluctuum imminente  
 16 tempestate gravi, Aeolo excitato,  
 17 et cui sorte data est maris potestas  
 18 irato, moveant leves tumultus  
 19 si tum de imperio suo suaque  
 20 dignitate, quis aequoris tumentis  
 21 sistet murmura ? Temperabit aut quis  
 22 Neptuni rabiem Aeolique ventos ?  
 23 Nullus, hercule, nullus, obruentur  
 24 sed cum classe sua sui patroni.  
 25 Quare tres liget ut ligare debet  
 26 nodo perpetuo hocque Christiano,

27 ulla non violabile arte vinculum,  
 28 mens una, unus amor, fides et una.  
 29 Jam nullus queat ut tribus nocere.  
 30 Res non difficilis mihi videtur.

## AD MINERVAM

DE INDUTIIS DECENNALIBUS INTER F. GALL. REGEM ET CAR. HISP.  
 NICAENAE PACTIS AD ID CONVOCATO PAULO PONT. MAX.

H3\_40 v.1 Verum nuntio nuntium hocque laetum,  
 2 et quod diminuet, quid ? Immo tollet  
 3 curas, sollicitudines, dolores,  
 4 et luctus, quibus ipsa distineris.  
 5 Illud accipe, lege sed sub ista,  
 6 ut tu significes novem deabus,  
 7 narres hoc quoque sedulo poetis,  
 8 litterisque jacentibus Minerva,  
 9 ac iis, exilium quibus paratur,  
 10 reges dum violenta bella tractant.  
 11 Aes bellum horribili sono ciebat,  
 12 et Martem tuba jam vocabat ipsum,  
 13 mugitu simili indicans tumultum  
 14 armorum similem fore, intonabant  
 15 jam praeludia praeparata pugnae  
 16 regum classica. Signa jam explicata,  
 17 classes ordine jam suo coactae,  
 18 rerum maximus omnium apparatus,  
 19 queis bellum vel ali gerive suevit.  
 20 Nervi denique principum duorum,  
 21 belli difficilem admodum probabant  
 22 eventum et dubiam aleam monebant.  
 23 Ad haec jamque Ducum excitata corda  
 24 intestino odio, male ominari,  
 25 et (si dicere fas sit) augurari  
 26 cogebant populum modo hunc, modo illum.  
 27 Cernebant se acies, cohors cohortem  
 28 jamjam vulnere mutuo vorabat  
 29 omnis impatiens morae, furore  
 30 acta hostemque suum videbat hostis.  
 31 In votis mage nil priusque habebant,  
 32 quam se confodere invicem suosque  
 33 horae perdere milites, vel uno  
 34 momento, nisi tunc simul coissent,  
 35 Nicaeae hac ratione congregati  
 36 summo flamine flaminum advocato,  
 37 tamquam iudice litis universae,  
 38 Paulus ingenii at sagacitate  
 39 flamen maximus ille, pontifexque  
 40 sacer, dissidium duum virorum,  
 41 Francisci puta, Carolique, paucis

42 qua posset ratione mitigari,  
43 quove consilio indicavit atque  
44 providit, studiose utrumque adhortans  
45 ad pacem, satius docens in hostes  
46 nostrae vertere persuasionis  
47 tela, quam fera bella Christianos  
48 divisit Aquilisque Liliisque  
49 inter se gerere hasque concitare  
50 turbas, haud Domino Deo placentes.  
51 Et longe melius magisque sanctum  
52 pacis perpetuae bonum fovere,  
53 quam rem, quam populum suumque, seque  
54 turbare, exagitare, dissipare ;  
55 fuso sanguine quamque Christiano,  
56 moliri subitam sui ruinam.  
57 Summam principibus datam nec esse  
58 rerum a principe principum, ut suo illi  
59 hasdem ex arbitrio vorent terantve.  
60 Si insanabilis hoc teneret ardor  
61 bellandi, aspicerent statim periculum  
62 tam praesens, quod ab hostium immineret  
63 immani, innumerabili, superba,  
64 horrenda insuper et manu cruenta,  
65 vertendasque acies in hanc, priusquam  
66 amborum imperio amplius noceret.  
67 Suadens hoc agere, esse in hocque totum  
68 Turcam magnanimum, impium tyrannum,  
69 ut dum proelia saeva concitarent  
70 regnandi studio impotente moti  
71 inter se duo principes, simul quos  
72 vix pervincere posse praevidebat,  
73 terra remque mari ille Christianam  
74 vexaret pedetentim et occuparet.  
75 Exemplo ista domestico probans, quod  
76 constaret satis, haud procul paratas  
77 classes illius esse, deprimique  
78 nostras atque capi ; omnibusque luce  
79 esset clarius expeditiones  
80 hoc factas duce Turcico scopum omnes  
81 in hunc tendere, ut imperaret orbi  
82 pulsus regibus, et novas parari,  
83 armari quoque copias ab illo,  
84 ut respublica degravata Christi  
85 tandem nomine cum suo periret,  
86 jam toto orbe jugum tyrannidemque  
87 compulso tolerare, Christiana  
88 gloria, tituloque consepulto.  
89 Esse denique maxime extimendum,  
90 ne disjunctio longa (quae malorum  
91 est fons et caput omnium) in furorem  
92 Christum verteret utriusque damno.

93       Hac voce eximiaque contione  
 94       Paulus composuit graves tumultus,  
 95       discordes animos Ducum duorum  
 96       mollivit, miserum atque luctuosum  
 97       belli principium periculosi,  
 98       sopitis odiis utrimque, sancto  
 99       annos consilio ad decem diremit.  
 100       Post quos, o utinam decem sequantur,  
 101       et rursus hos alii decem, decemque ii  
 102       adducant alios decem decemque iis  
 103       accedant pariter decem trahantque  
 104       ii secum comites decem, quietis  
 105       testes perpetuae aureaeque pacis,  
 106       quam non dant homines, Deus sed ipse,  
 107       qui pacis dator est, dator quietis,  
 108       cujus ut dare solius quietem,  
 109       ut pacem dare solius tenacem,  
 110       sic ejus quoque solius quietem  
 111       conservare datam, et datam tueri  
 112       pacem, commoda cuncta quae ministret,  
 113       cuncta incommoda quae arceat, nec ulla  
 114       ex illa scateant subinde bella.  
 115       Quod sic dum fore spero jam Minerva  
 116       vires collige, jam sono tubarum,  
 117       et Martis strepitu procul fugato  
 118       laetare, et tibi redditos honores  
 119       gaude, pro lituis lyram poetis  
 120       perfer aequo animo esse, restitutam  
 121       litterisque suam esse dignitatem,  
 122       quae inter tristia bella conticebant.  
 123       Et mecum ipsa roges patrem tuum, qui  
 124       excelse moderator est Olympi, ut  
 125       cedant arma tibi tuisque alumniis,  
 126       turbae virgineae sacroque Amori,  
 127       imbellique choro ; atque in omne saeculum  
 128       stent haec foedera, copulata nexu,  
 129       nexu inquam triplici alligata, qui non  
 130       dissolvi facile potest, sed usque  
 131       durat, vivere nec sinat vel horam,  
 132       hunc nexum violare qui studebit,  
 133       causam ni videat movere justam.  
 134       (Ulla si modo justa causa belli.)  
 135       Dignetur nec eum suo ille caelo,  
 136       primus jurgia qui redintegrabit.

DE PACE POST INDUTIAS.

H3\_41   v.1       Mota maxima bella ni fuissent,  
           2       non nunc foedera maxima haberemus.  
           3       Summa dissidia, optimum fuisse

4 ergo quis neget, ex quibus redundat  
5 ad nos aurea paxque sempiterna ?

IN QUOSDAM AUREL. FUNIGEROS.

H3\_42 v.1 Vos, o funigeri, ordinis beati  
2 Francisci, pietate tam minores  
3 quam ipso nomine, quod peculiare  
4 vobis dicere non pudet, beatus  
5 Franciscus (bonitas in orbe cujus  
6 toto cognita) quaeso, num docebat  
7 vos contendere, suscitare rixas ?  
8 Factae foedera num improbare pacis ?  
9 Plebem fallere, praedicare nugas,  
10 mundo imponere, virginum pudorem  
11 donis sollicitare, mortuorum  
12 persuadere animas suo in sepulchro  
13 signis sese Erebi videre poenas  
14 testari, puerile num decus vos  
15 obscaena venere, o malum, inquinare,  
16 inter vos facere et pati nefanda ?  
17 Hoc si tempore suscitetur, illos,  
18 clamabit, cinericios fugate  
19 ventres. Atque iterum altiore voce  
20 contendet, cito pellite otiosam  
21 hanc turbam nebulonum, et hanc malorum  
22 Lernam. Me faciunt patrem meoque  
23 sese vivere more jactitant, sed  
24 agnosco hos minime velut puellios  
25 effrontesque pigrosque garrulosque.  
26 Quos si quis similes mihi esse credat,  
27 is album pariter putet nigrum esse.

IN EOSDEM.

H3\_43 v.1 Belli cordigeri patres, cibus queis  
2 nil solventibus apparatus, estis,  
3 o vos, semidei, o quater beati.  
4 Vellem vivere, sic mihi darent Dii,  
5 ut vos : sollicitudines fugarem.  
6 Nam pecunia denegata voto,  
7 solvit vos quoque lege, ut hospiti nil  
8 pro expensis numerare sit necesse.

AD STUDIOSON EJUSDEM SODALICII.

H3\_44 v.1 Si quis vivere se putet secundum  
2 vitam, dogmata regulamque sancti

3 Francisci, sciat in malos locutum  
 4 esse me. Volo nil bonorum honori  
 5 detractum, quibus est amica virtus,  
 6 sanctarum et studia ipsa litterarum.  
 7 In malos proprie impiosque scripsi.  
 8 Scalpat cui id sibi pruriet, quod aiunt.

## AD MACRINUM.

H3\_45 v.1 Jam, Macrine sodalium meorum  
 2 prime et optime, pace constituta  
 3 extinctis odiis, furore Martis  
 4 pulso, murmure cornuum minaci  
 5 muto, gaudia suscitemus et jam  
 6 speremus melius tibi mihi que  
 7 et cunctis fore vatibus, subactis  
 8 armis. Jam videor duces videre  
 9 hymnos in manibus tuos (poema  
 10 divinum hercule) pro mucrone habentes  
 11 ignaras quoque turbinum Camenas,  
 12 nulli dum litui strepunt, tenentes,  
 13 vivacesque lyras sinu foventes,  
 14 quid dico, videor videre ? Ego ipse  
 15 hoc vere video, quod haud videre  
 16 sperabam, duo regna principum esse  
 17 regnum unum, duo corda, cor et unum,  
 18 diversamque fidem, fidem esse junctam,  
 19 et id quod fuit ante singulorum  
 20 nunc commune duobus esse factum.  
 21 Ergo, prime sodalium Macrine,  
 22 speremus melius tibi mihi que  
 23 et cunctis fore vatibus, beato  
 24 pacis tempore principum duorum.  
 25 Muis jam locus et datur poetis.

## AD PERINNAM ITALAM.

H3\_46 v.1 Redde, putida, passerem poetae,  
 2 redde delicias reflagitanti.  
 3 Passer bellulus ille, bellus ille  
 4 num passerculus est tibi dicatus ?  
 5 Feles hunc potius canesque scindant.  
 6 Scortum scilicet in sinu tenebit  
 7 impuro, illepedo atque ineleganti  
 8 avem dulciculamque blandulamque,  
 9 avem virgineo choro sacratam ?  
 10 Te dii, te potius deaeque perdant.  
 11 Ne sis nescia, passerem meum illum  
 12 ad te non volo, passerem meum, inquam,

13 bellum sordida pipilare. Non es  
 14 tantis deliciis jocisque digna.  
 15 Passer scilicet usque pipilabit  
 16 ad scortillum olidum lupamque foedam ?  
 17 Formicae hunc potius vorent minutim.  
 18 Passer scilicet ille convolabit  
 19 ad te, scilicet ille saltitabit  
 20 in manus, veniet venire jussus  
 21 ad te scilicet ille ? Passer ille  
 22 scorti scilicet ipsa mordicabit  
 23 labra, aut sumet aquam ex tuo ore, ludet  
 24 vel tecum, aut gremio tuo quiescet ?  
 25 Ad morsus digito meam incitabis  
 26 avem, garrulam avem, et loquacem, et acrem  
 27 avem, delicias quotidianas,  
 28 et solaciolum mei laboris ?  
 29 Orci illam potius trahant tenebrae,  
 30 cumque passere Lesbiae Catulli  
 31 incedat per iter tenebricosum.  
 32 Rides, putida, me reflagitantem ?  
 33 Num negas quoque foeda reddituram  
 34 mellitum mihi passerem meum ? Sic  
 35 scortum sic facies brevi, vel in te  
 36 armabo, o lupa, passerem trecentos,  
 37 et caudas totidem hasque pestilentes.  
 38 Quare, putida, passerem poetae  
 39 redde a te toties reflagitanti.  
 40 Non reddis mihi contumax ? Videbis  
 41 quod noles, moneo, brevi, videre.  
 42 Redde, si sapis, impudica, redde.

AD FRAN. CAR. ET CHRISTOPH. CHALANCONIOS.

H3\_47 v.1 Inter nos ita convenit, mihi ut sit  
 2 Franciscus numero e sacro meorum  
 3 candidissimus, illi et ipse summus  
 4 sim. Sit Carolus optimus, sim et illi  
 5 integerrimus omniumque primus.  
 6 Et sit Christophorus peculiaris,  
 7 et sim Christophoro ipse singularis.  
 8 Sed quid foedera nunc mihi a Tolosa  
 9 digresso, o juvenes venustuli, quid  
 10 haec, quae vincula sunt gradus supremi,  
 11 vel boni mihi commodive portant ?  
 12 Tantum abest mihi mutuuum ipsi amorem  
 13 praestetis, memores parum ut poetae  
 14 sitis, qui tamen integrum usque foedus  
 15 servat ; nam numero in sacro meorum,  
 16 Franciscus retinet locum ille summum.  
 17 Integerrimus omniumque primus

18 et est Carolus, estque singularis  
 19 semper Christophorus mihi a Tolosa  
 20 digressio, memor ac trium ipse tam sum,  
 21 estis quam memores parum poetae.

## AD ARLERIUM.

H3\_48 v.1 Optas versiculos habere vatis  
 2 Vultei, hunc tibi postulasque amicum.  
 3 Cur vero id facias rogesve, plane  
 4 ignoro nec enim esse consuevit  
 5 quae constans modo sit diuque duret,  
 6 nisi inter similes necessitudo.  
 7 Inter nos queat ergo qualis esse  
 8 amor, dissimiles mage imparesque,  
 9 tardi quam rapidis equis aselli ?  
 10 Quam Damis timidis feri Leones ?  
 11 Causas dum sequeris forique lites,  
 12 defendis miseros, scelus malorum  
 13 oppugnas, vaco dulcibus Camenis,  
 14 ridens murmura sordidosque quaestus.  
 15 Res utcumque habeat cadatque tandem :  
 16 simus dissimiles licet, disertus  
 17 ut sis causidicus, rudis poeta  
 18 sim, infans, illepidus, tenebricosus,  
 19 durus, rusticulus, malus, nec ipso  
 20 vatis nomine dignus, attamen cum  
 21 me sponte exstimulas, et ultro amicus  
 22 Vulteio fieri cupis, negandi  
 23 jus tollis quoque. Sis mihi ergo amicus.

## AD LEDOTUM.

H3\_49 v.1 Nullus quod tibi vult amicus esse,  
 2 causa est : semper abuteris parato  
 3 amico. Poteris malo huic mederi  
 4 hac sola ratione : fac amicum  
 5 nullo tempore quo velis abuti.

## AD SYLVANUM FONTANUM.

H3\_50 v.1 Quod nos rus habeat remotum ab urbe,  
 2 vi velut retinentibus magistris,  
 3 permulti, temere tamen, moventur,  
 4 mirantur quoque. Nemini esse mirum  
 5 debet, ista domesticis placere,  
 6 quae gratissima sentiunt hero esse.  
 7 Vico gaudet herus domoque longos



8 agros prospiciente, amemus et nos  
 9 villam, nam domini sequi clientem  
 10 votum, non dominum sui clientis,  
 11 aequum est. Num satis haec honesta causa,  
 12 quod nos rus habeat remotum ab urbe ?

AD HENR. FRATREM.

H3\_51 v.1 Cur tot conciliem paremque amicos,  
 2 nummos cur cumulem paremque nullos,  
 3 frater care, mihi objicis. Tibi sed  
 4 sic respondeo : "Sum eruditus ipsa  
 5 re, et multa experientia, fideli  
 6 excellentius esse nil amico ;  
 7 rerum nil cumulo magis caducum.  
 8 Causa est cur studeam parare amicos :  
 9 res rebus cumulem nec ipse partis."

DE AQUEO, ET BRIXIO.

H3\_52 v.1 Nunc juges querimonias profundas,  
 2 caris Gallia destituta alumnis.  
 3 Mors, heu, mors Aqueumque Brixiumque,  
 4 passim jam celebres viros, eodem  
 5 momento tibi sustulit satisne est  
 6 cavae Gallia mors duum virorum,  
 7 Musis nobilium virum duorum,  
 8 ut juges querimonias profundas ?  
 9 Debentur lacrimae iis viris duobus.  
 10 Ubertim lacrimae ex tuis ocellis  
 11 ergo turgidulis cadant, piusque  
 12 Musis nobilibus viris dolorem  
 13 praesta et tristiculis vaces querelis.

AD MALESERIUM.

H3\_53 v.1 Cui in vita fuerint boni parentes,  
 2 fratres unanimes, piae sorores,  
 3 omni in re fidei integrae sodales,  
 4 conjunx sobria, docta, casta, simplex,  
 5 nati candiduli, atque diligentes  
 6 servi, quod satis est opum, nec ultra  
 7 quid, cui talia contigere poscat,  
 8 nil desideret, ambiat, velitque :  
 9 hunc, quaeso, ante obitum negas beatum ?  
 10 Cunctis ille beatior beatis  
 11 credendus venit atque judicandus.  
 12 Felix quisquis eos habet parentes.

13 Felix cui unanimi obtigere fratres.  
 14 Felix quisquis eas habet sorores.  
 15 Felix quisquis eos habet sodales.  
 16 Conjux cui data talis, ille felix.  
 17 Felix quisquis eos habet puellos.  
 18 Felix quisquis eos habet ministros.  
 19 Felix cui sua sors satis, nec ultra  
 20 quid, cui talia contigere poscat :  
 21 hoc num quem esse putas beatiorem ?  
 22 Dicto, si doceas, tuo acquiescam.

EX INVERSO CARMINE MARTIALIS, AD SAL. MACRINUM.

H3\_54 v.1 Vitam quae faciunt minus beatam,  
 2 candidissime mi Macrine, sunt haec :  
 3 res quae parta labore nec relictas,  
 4 numquam gratus ager, focus nec umquam,  
 5 lis semper, toga crebra, mens aberrans,  
 6 vires exiguae, insalubre corpus,  
 7 stulta simplicitas, amicus impar,  
 8 convictus gravis, arte mensa summa,  
 9 nox non sobria sed gravata curis,  
 10 non laetus torus, at parum pudicus,  
 11 longas qui faciat sopor tenebras,  
 12 quam non esse quod es nihilque malis.  
 13 Et summum metuas diem et peroptes.

AD HEBEUM.

H3\_55 v.1 O te offendere quam periculosum est,  
 2 ni te scirem hominem, Deum putarem.  
 3 Nam fandi es memor, et memor nefandi.

DE JANA COSSEIA ET BINTINNO SPONSO.

H3\_56 v.1 O pulchrum juvenis, juvenculaeque,  
 2 pulchrum o conjugium duorum amantum,  
 3 vere nobilium duorum amantum.  
 4 Nupsit Jana viro undequaque claro,  
 5 Jana moribus undequaque castis.  
 6 Uxori suus haud vir antecellit,  
 7 virum nec probitate vincit uxor.  
 8 O par conjugium, o torum beatum.  
 9 Hunc, nulla hunc dirimat querela lectum.  
 10 Sed clarissimus integerrimusque  
 11 Bintinnus juvenis, pererudita,  
 12 selectissima cumque Jana in altum  
 13 caelum convolet, ignei et patescat

14 vivis regia lucidique regni,  
15 terras linquere cum volent amantes.

AD VILLANSIUM.

H3\_57 v.1 Quod non misceo fabulas libellis,  
2 hac sola ratione me poetam,  
3 Villansi, esse negas. Poeta numquam  
4 sola ergo hac ratione sum futurus.  
5 Vates non volo fabulosus esse.

AD LEVINUM.

H3\_58 v.1 Cui cultissimus ut sit hortus herbis,  
2 multis floribus arborumque fetu  
3 et grato et vario, studet ; nec ulla  
4 arte hoc excolit expolitque pectus,  
5 hunc praepostera nonne cura ducit ?  
6 Nam debet ratio esse prima mentis.

AD LEDOTUM.

H3\_59 v.1 Qui te maximum et optimum esse amicum  
2 dicebas, mihi re negas meoque  
3 jam repente renuntias amori.  
4 Nec causa potes altera moveri,  
5 ni quod dissimilis tibi, ipse nolim  
6 te in re scilicet improba probare.  
7 Sensisti ingenium meum, volebam  
8 amori ipse tuo renuntiare.  
9 Nam amicos volo, quos probare possim.

AD CHRISTOPH. RICHERIUM.

H3\_60 v.1 Richeri omnibus e meis amicis  
2 antiquissime, maxime omniumque  
3 constantissime, quam feram moleste  
4 quod me invisere non velis, queam nec  
5 ad te currere, credo judicare  
6 posse te facile. Hanc molestiam ergo,  
7 quae me tot cruciat molesta menses,  
8 pellas, pellere qui potes, sodalem  
9 nec desiderio tui peruri  
10 tamdiu, rogo, perferas. In aula  
11 nunc non te obruit occupationum  
12 moles, quando libet potes venire.  
13 Es liberrimus, otioque abundas.

14 Horae te mihi tresve quattuorve  
 15 possent incolumem haud procul dirempto  
 16 monstrare, est iter obvium patensque,  
 17 hoc nec difficile aut laboriosum ;  
 18 tantum te Ligerim sequi est necesse,  
 19 donec rus domini mei videbis ;  
 20 paene in littore fluminis, puelli  
 21 bimi, ut non videas, satim docebunt  
 22 Vultei exiguos lares poetae,  
 23 a Castro Domini parum remotos.  
 24 Quid jam, quid potes, ut velis, honeste  
 25 causari ? Nihil est, nec esse quicquam,  
 26 praeter nolle quidem probare possis.  
 27 Quare ne facias parum venuste,  
 28 et ne te immemorem putem sodalis,  
 29 te ne denique desinam vocare,  
 30 sincerissimum et optimum sodalem :  
 31 dic, ad te veniam, alloquarque coram,  
 32 narrabo et loca, facta, dicta, visa,  
 33 Regum foedera, pacta, nationes,  
 34 Nicaeae omnia quaeque sunt peracta,  
 35 et hoc tempore perbrevis. O beatum,  
 36 o quantum id mihi nuntii est futurum.  
 37 Ad nos si nequeas volare, saltem  
 38 mittas ipse pedisequum tuum, qui  
 39 litteras habeat tuas peramplas,  
 40 istas dico tuas perelegantes ;  
 41 ponas ante oculos quibus, quod ipse  
 42 praesens tu mihi diceres, si adesses.  
 43 Ut primam mihi deneges, secundum,  
 44 Richeri, rogo quo modo negabis ?  
 45 Maximo sine non potes pudore.

## AD PUELLAM.

H3\_61 v.1 Auream mihi dum puella donas  
 2 torquem, et pondere nobilem, et labore,  
 3 torques me nimis o nimisque tortas ;  
 4 torres denique vinculo alligatum.  
 5 Assum me nisi percupis videre,  
 6 de collo hanc cito detrahas catenam,  
 7 et tuam repetas puella torquem.  
 8 Novi haud pondera sustinere tanta.

## AD FEBRIM, UT JANAM COSSEIAM TORQUERE CESSSET.

H3\_62 v.1 Quo quo dira ruis nocensque ? Corpus  
 2 cur hoc urere vis calore sacrum,  
 3 corpus non nisi maximis dicatum

4 rebus. Perdere regiam Minervae  
 5 prolem quid laqueis tuis dolose  
 6 contendis ? Viduam quid hanc puellam,  
 7 est quae doctior omnibus puellis,  
 8 quas navare operam libris Latinis  
 9 regis cernere Gallici est in aula,  
 10 tentas reddere ? Quid ? Toro jugali  
 11 absentem spoliare vis maritum,  
 12 Bintinum, juvenem pium, eruditum,  
 13 flagrantem studio artium bonarum,  
 14 cui Cosseia fuit dicata nuper  
 15 felici auspicio et die secunda ?  
 16 Abi pestis, abi, tuae sagittae  
 17 juris corpus in hoc piae puellae  
 18 nil umquam poterunt habere. Tempta,  
 19 nullum non lapidem movere pergas,  
 20 conere omnia, nil noces. Feroces  
 21 conatus, faciem trucem, minantes  
 22 flammis, taedia quae paris, recursus,  
 23 cursus atque tuos puella ridet,  
 24 imperterrita, firma, tuta, constans,  
 25 armata, et clipeo sacrae Minervae  
 26 tecta, nec metuens quid ipsa possis,  
 27 alto et forti animo impetus repellit.  
 28 Quare pestis abi, studes nocere  
 29 huic nymphae tenerae elegantulaeque  
 30 frustra. O pestis abi, tibi litandum,  
 31 non est hac tibi victima litandum.  
 32 Corpus fata manent magis benigna,  
 33 fata inquam magis hoc benigna corpus,  
 34 corpus Mercurio sacrum et Minervae.

AD PASCASIUM CLEMENTEM.

H3\_63 v.1 Multum est nomine quod facis meo. Ipse  
 2 dum prodesse studes, potes nocere,  
 3 vel saltem potes ipse non juvare.  
 4 Et si mentio fiat a patrono  
 5 tuo, de ingeniis bene et beate  
 6 natis, (quae fieri frequens solet, nam  
 7 litteras amat, estque litteratus).  
 8 Si me praetereat, rudem velut, tunc  
 9 Cosseii ante oculos tui labores  
 10 aetatemque meam meosque fetus  
 11 adfers, meque facis peritiorem  
 12 quam sim ; si ille meum poema laudet,  
 13 et speret melius, statim ipse vocem  
 14 confirmas domini, mihi patronam.  
 15 Et ne de illius in me amore quicquam  
 16 labatur, pereatve, semper illum

17 ad mihi bene concitas volendum.  
 18 Quare, nomine quod facis meo, esse  
 19 multum ut dicere, non tacere possum.  
 20 Ut possim, neque debeo, meorum  
 21 Clementissime. Sed studere ut omnes  
 22 noscant, id puto partium mearum.

AD MUSAS.

H3\_64 v.1 Musa, perpetuo meo labori,  
 2 noctis unius integrae quietem  
 3 jam concedite servulis tacente  
 4 nocte, occasio summa dormiendi  
 5 ad solis radios datur sequentes.  
 6 Post tot nec dabitur mihi lucernas,  
 7 post tot carmina, sole ab occidente  
 8 aurorae ad nitidae brevem recursum,  
 9 somni comoda vel semel, soluto  
 10 curis ? Vos volo virium mearum  
 11 certas. Hactenus ipse vestro amore  
 12 ductus, pervigilare qui solebam,  
 13 vix possum vigilare, ni velitis  
 14 interponere me meo labori  
 15 interdum unius integrae quietem  
 16 noctis. Vos igitur, deae, sepultum  
 17 somno, linquite devorare noctem  
 18 istam quam peto. Cras prius resumam  
 19 nervos, quam mihi aves sonent propinquam  
 20 lucem. Dormio jam, deae valet.

TERTII HENDECASYLLABORUM FINIS.

\*\*\*\*\*

## JO. VULTEI RHEMENSIS HENDECASYLLABORUM LIBER QUARTUS.

(803 vers)

## AD FRANC. BOHERUM MACLOU. EPISCOPUM MAECENATEM.

H4\_1 v.1 Versus hos tibi dedico, ut priores,  
 2 et illa ratione qua priores.  
 3 Non quod scilicet es potens, modos sed  
 4 quod tu diligis, et facis peritos,  
 5 et quod sit tibi non inerudita  
 6 auris. Nam quid ineptius profano  
 7 sacrum mittere quam poema ? Munus  
 8 doctis non nisi vatibus dicandum,  
 9 qui improbanda sciunt, sciunt probanda ?  
 10 Hoc si nomine deinde nuncuparem  
 11 fetus exiguos tibi laborum,  
 12 quod sis dives, episcopus, parentum  
 13 sanguis nobilium, aut quod ipse possis  
 14 Croeso reddere me potentiolem,  
 15 mystas Pierios statim excitarem  
 16 in me et in numeros meos, et essem  
 17 plane sordidus immemorque honesti,  
 18 qua semper volui vacare culpa.  
 19 Hac ergo ratione, ut ante dictum est,  
 20 horum te volo versuum patronum,  
 21 quales sint, quia judicare recte,  
 22 si quisquam, potes et tueri eosdem  
 23 prudenter, tua si semel probarit  
 24 hos sententia recta, docta, verax.

## AD LIBELLUM.

H4\_2 v.1 Vires non stolidas opum aut honores  
 2 insanos peto, nec, libelle, vulgus  
 3 quo sese quod habet putat beatum.  
 4 Seram si dederis citamve famam,  
 5 sat est. Qui volet ampliora, quaerat.

## AD SAL. MACRINUM.

H4\_3 v.1 Primus de numero tuo, Macrine,  
 2 vatum Brixius ille Gallicorum,

3 vivit cum Jove. Qui locum rogabas  
 4 inter Gallia quos tulit poetas,  
 5 docto carmine, quem locum occupabat  
 6 ille, illum arripias : tibi reliquit  
 7 Germanus tibi Brixius, poetae  
 8 quotquot sunt quoque Gallici, hunc relinquunt,  
 9 libenterque tuum esse confitentur.

AD JO. CROSMARIUM.

H4\_4 v.1 Quas in me cumulasque congerisque  
 2 laudando, eloquii tui figuras,  
 3 Crosmari, probo, laudo, miror, at non  
 4 agnosco proprias velut mihi, vel  
 5 debitas. Nec enim ulla prorsus in me  
 6 est facundia, lingua non diserta,  
 7 nulla est gratia, dexterum nihil, nil  
 8 divinum, nihil eruditionis,  
 9 nil est denique quo poeta adaequer  
 10 priscis vatibus, o Deus beatis,  
 11 quorum prosequor atque adoro gressus  
 12 et vestigia et arduos labores,  
 13 contentus satis ac satis, poetas  
 14 infra ut subsideam, quibus per alta  
 15 collis Aonii datur vagari,  
 16 et has aspiciam procul, ducem me  
 17 quarum carminibus facis sorores.  
 18 Quod si non aliter loquatur os quam  
 19 cor sentit, male judicas, et ipse  
 20 plane per nimium tuum in me amorem  
 21 de me cogere ista praedicare,  
 22 ad naevos quoque caecutire, chartis  
 23 quibus quae illino plena cuncta cernas.  
 24 Id deest quod tribuis mihi omne, praeter  
 25 candorem, neque mentior, sed ipsi  
 26 major est tibi nostra fama quam res.  
 27 Et dum me in cute noveris, quod aiunt,  
 28 tum tu iudicii tui dolebis.

AD BORBONIUM VANDOPERANUM POETAM.

H4\_5 v.1 Quaeso, dic mihi, Borboni poeta,  
 2 quis dixit male velle me tibi ? Quis  
 3 auctor dissidii fuit ? Mihi ullum  
 4 ut nolo male velle, sic nec ulli  
 5 consuevi male velle, Borboni. Qui  
 6 me norunt propiusque pressiusque,  
 7 id de me incipient loqui, rogati ;  
 8 esse nil mihi tam grave aut molestum



9 quam contendere, quam fovere lites,  
 10 lites, Vandoperane, Christiano  
 11 indignas homine et pio poeta,  
 12 quamque ulli temere apparare risum.  
 13 Testes sint minime omnium maligni  
 14 hac in re mihi, Dampetrus, cerebri  
 15 vir sani, et citharae pater Macrinus.  
 16 Cum illis sit Gulielmus ille Scaeva,  
 17 candidissimus omnium ille Scaeva.  
 18 Veraces utriusque nostrum amici,  
 19 quibus displicet ista foeda sanctae  
 20 assentatio veritatis hostis,  
 21 plus quam quis queat explicare verbis.  
 22 Et testis mihi sit meus Boherus,  
 23 certum praesidium meae lucernae,  
 24 qui me vivere nec diem, nec horam,  
 25 nec punctum haud dubie in sua domo umquam  
 26 ferret, si me odio sequi vel unum  
 27 sciret. Nam procul a suis repellit  
 28 tectis jurgia litiumque causas,  
 29 rixosos homines gravesque questus,  
 30 tamquam perniciem luemque pacis.  
 31 Et tu credere si meae id fatenti  
 32 vis Musae atque meam fidem sequi, sic  
 33 orabit mea Musa, sic precabor  
 34 alta protinus usque et usque voce :  
 35 vae illi qui male vult tibi poeta.  
 36 Vae illi qui male velle te mihi optat.  
 37 Et qui vult male convenire nobis,  
 38 et committere nos studet, quod inquis,  
 39 communem, rogo te, putemus hostem,  
 40 ac illi male tam velimus ambo,  
 41 (cuiquam si male velle debeamus)  
 42 quam mi vis bene, quam tibi bene opto.

DE MORTE VIDONIS TREMOLLII ET EJUS PAEDAGOGI.

H4\_6 v.1 Fratres dulciculique blandulique,  
 2 fratrem dulciculumque blandulumque,  
 3 ventris profluvio gravi peremptum,  
 4 octo annis nec adhuc malum peractis,  
 5 vestris turgidulis tenellulisque  
 6 deplorate oculis, simulque vobis  
 7 communi lacrimas pias magistro  
 8 jam concedite, nam dolore eodem  
 9 quo frater periit, jacet sepultus.  
 10 Et hac discite morte tam pueros  
 11 cito occumbere quam senes perire.

## IN CRESSIUM AVARUM.

H4\_7 v.1 Id non sum quod es, esse nec laboro ;  
 2 id quod sum nec es, esse sed laboras.  
 3 Id possum esse quod es tamen, sed ipse  
 4 id numquam potes, invide, esse quod sum.

## DE DORSINO.

H4\_8 v.1 Quod fert quae duo vix levare possint  
 2 Dorsinus, digito vel hoc, vel illo,  
 3 plumbi pondera, marmoris, vel auri  
 4 argentine : putat quis esse mirum ?  
 5 Uno namque die cibos vorabit  
 6 plures quam faciant decem diebus  
 7 edendi duo tresque quattuorque  
 8 oppressi rabida fame ut libet sint.

AD AEGID. BOHERUM MAECENATEM,  
 SE EO SALVO FORTUNAE INIQUITATEM NON REFORMIDARE.

H4\_9 v.1 Ex parvo mihi praedio relicto  
 2 patris morte mei meaeque matris,  
 3 (quos mors o mala, mors iniqua eodem  
 4 momento abstulit, atque in urna eadem  
 5 clausit) de patrimonio et pusillo,  
 6 Axonam audio quattuor vorasse  
 7 agri jugera, et occupasse quinque,  
 8 et vi sex dominum soli obtinere,  
 9 montes cui proprie asperi dederunt  
 10 nomen. Deinde meos lares ruinam  
 11 proximam mihi jam loqui, ad suaves  
 12 hortos jamque aditum omnibus patere,  
 13 qui Musis fuerant meis sacri. Illud  
 14 et nunc denique vitium, atque agrorum  
 15 parvum quod superest, nec amputari  
 16 nec findi, sed ab improbis inique  
 17 vinitoreque villicoque prorsus  
 18 contemni, haud dare vineamque nostram,  
 19 labruscas nisi pauculas, popello  
 20 et quae a praetereunte dissipantur.  
 21 Agros reddere fertiles nihil, quam  
 22 sentes atque vepreculas nocentes,  
 23 spinas praeterea horridas, agunt quae  
 24 radices etiam suapte sponte.  
 25 Sors, o sors, quod agas quid est relictum  
 26 in me ? Si potes amplius nocere,  
 27 nullum non lapidem movere pergam.  
 28 I, fac, dic, graviora jam minare.

29 Nec te, nec tua tela pertimesco,  
 30 salvus donec erit mihi patronus,  
 31 ille ille Aegidius Boherus ille,  
 32 qui puncto dare temporis potest plus,  
 33 umquam quam dederint mei parentes.

## AD POLITEM.

H4\_10 v.1 Pergis dum Latium, puer Polite,  
 2 ori fac timeas tuoque culo.  
 3 Culum ni dederis rogantibus te  
 4 actum est, continuo os bibet venenum.

## IN LEDOTUM.

H4\_11 v.1 Quod sis pessimus omnium virorum,  
 2 res est non nova, nam tuo parenti es  
 3 natus ipse simillimus ; sed esset  
 4 certe res nova, si mali parentis  
 5 esses filius optimus virorum.  
 6 Quod vulgi esse frequens in ore suevit,  
 7 id falsum bonitas tua approbaret,  
 8 patrem nec sequeretur ipsa proles.

## IN BRISSAM.

H4\_12 v.1 Quid communius est vel esse possit,  
 2 Brissa vilius ? Antequam rogetur  
 3 dat quod nemo velit rogare gratis.  
 4 Jam quid non dabit ipsa si rogetur ?

## IN EAMDEM.

H4\_13 v.1 Est, quod scis, dare turpe cum rogaris,  
 2 quanto turpius antequam rogeris ?  
 3 At gratis dare cum rogata nec sis,  
 4 res turpissima nonne, Brissa ? Sic est.

## IN LEDOTUM.

H4\_14 v.1 Quantum dant alii tuo in libello  
 2 ut nomen videant suum, libenter  
 3 tantum sum tibi, plura vel daturum,  
 4 si me expungere vis tuo a libello.

## AD ANTO. SYLVANUM FONTANUM.

H4\_15 v.1 Hoc dissolve et eris mihi poeta  
 2 Flacco doctior, aut Marone major,  
 3 divino vel Apolline, aut Minerva,  
 4 caeco vate oculatior vel ipso ;  
 5 natos quattuor una mater (illa  
 6 mater si modo sit vocanda) habebat,  
 7 quae rem dum minui suam timeret  
 8 ab his, portio cuique si daretur  
 9 quaesiti simul et simul relictis ;  
 10 inquit consilium, explicare quo se  
 11 magna parte queat, duos statim una  
 12 occidit ratione tertioque  
 13 testes demetit, unicumque servat,  
 14 quem rerum dominum cupit suarum  
 15 occisi nihilominus duo sunt  
 16 vivi, tertius integrosque testes  
 17 gestat. Credibile hoc quis arbitratur ?  
 18 Vero verius attamen docebo.

## DE ARPILLO FURACISS.

H4\_16 v.1 Fur furum omnium et omnium latronum  
 2 summus, maximus improbissimusque  
 3 Arpillus, cupiens, in arcula auri  
 4 esset si quid, et esse cogitabat  
 5 multum, surripere. Is domum subintrat  
 6 vi seram excutit abstrahitque, aperta  
 7 sed quod tollere ab arcula ille posset,  
 8 praeter Mercurium aereum fuit nil.  
 9 Quem ne tum vacua manu rediret,  
 10 aufert, surripit, et suum facit. Quid  
 11 jam non surripiet, Deum ille furum  
 12 compilare mea audeat si in arca ?

## DE PRASSO ET EJUS COCO.

H4\_17 v.1 Prassus tam cito prandium parari et  
 2 tam laute, nihil ut queat videri  
 3 confectum citiusque lautiusque  
 4 infidum jubet et monet cocum, illud  
 5 addens : "Sic satures volo, advocatos  
 6 (dici quod solet) ut decem dies post  
 7 hosdem nulla premat fames sitisque."  
 8 Prasso "Fiet" ait cocus. Venenum  
 9 taetrum tunc epulis meroque miscet.  
 10 Convivas quoque tot quot advocarat  
 11 Prassus e medio abstulit cocus, nec

12 vel Prasso domino quidem pepercit.  
 13 Condiri potuit, vel apparari  
 14 quid mensa hac citiusque lautiusque  
 15 exceptum male qua fuisse nemo  
 16 questus est, queritur, queretur umquam ?

AD JO.GASNERIUM RURI CUM MAECENATE AGENTEM.

H4\_18 v.1 Ruri vos agitis bene et beate  
 2 omnes, ut mihi litterae tuae sunt  
 3 testes. Nos pariter valemus omnes,  
 4 ut tu ex nuntio et ex meis phaleucis,  
 5 Gasneri, poteris videre. Sed vos  
 6 hac re estis, fateor, beatiores  
 7 nobis, quod nisi mente, non videmus  
 8 absentem dominum, sed hunc videre  
 9 mente et corpore, cum libet, potestis.  
 10 At cras aequae erimus puto beati.

AD CAR. FONTANUM.

H4\_19 v.1 Qui te credidit esse me, parum ille  
 2 vidit, Carole. Nam nihil duobus  
 3 nobis dissimile est magis, tui seu  
 4 spectes corporis ipsius figuram,  
 5 dotes seu ingenii pii beatas.  
 6 Rufum te audio, rudus ipse non sum,  
 7 parvo in corpore te fovere magnae  
 8 virtutes scio, sentio in sat amplo  
 9 nullas corpore, vel leves profecto.  
 10 Ad haec, carmine Gallico domare  
 11 tigres vel rapidas potes, vel ipsas  
 12 (durae sint licet) excitare quercus.  
 13 Contra carminibus meis, Latina  
 14 condo quae male, concito in furorem  
 15 jam mites iterum feras ; et ut res  
 16 concludam quod habet semel, mihi te  
 17 qui dixit similem, est vel arbitratus  
 18 te esse me, hunc puto tum fuisse caecum.  
 19 Quod si esses (ut ais) poeta qui sum,  
 20 a te longe alius fores poeta.  
 21 Nam qui Gallicus es bonus poeta,  
 22 esses, Carole, pessimus Latinus.

EPITAPH. APPAESCMI DEI.

H4\_20 v.1 Verum credere si cupis, viator,  
 2 de me, crede mihi, ista confitenti :

3 semper me esse deum, fore et putavi,  
 4 id de me pariter putasset orbis,  
 5 at mors sola hominem esse me probarit ;  
 6 infra omnes homines prius sepultos  
 7 hic tandem ex merito meo locandum.

## AD ANTON. PERARDUM.

H4\_21 v.1 Qui vult servitium sibi perire,  
 2 omni tempore serviat necessum est  
 3 vel cano puerove feminaeve.  
 4 Hoc pacto nihil ille consequetur.  
 5 Senex occidit antequam rependat  
 6 grati servitii vices ; fidelis  
 7 est servi puer immemor, priusquam  
 8 ullum jus habeat remunerandi.  
 9 Mentem femina singulis diebus  
 10 mutat, propositi tenaxque non est.

## AD MAECENATEM.

H4\_22 v.1 Quidam me medio in foro magister  
 2 ludi, dum videt esse paenulatum,  
 3 "Estne ille, estne, ait, ille quem Boherus  
 4 Vulteium vocat ? In schola libellos  
 5 cujus discipulis meis diebus  
 6 cunctis praelego ? Quem triplex honorat  
 7 vatem Gallia, quem probant alumni  
 8 Musarum, Venerum Cupidinumque,  
 9 et Phoebi, et pariter sacrae Minervae."  
 10 Qui me noverat alter esse dixit  
 11 illum ipsum. Ergo "Quid ille paenulatum  
 12 incedit, nec habet togam nitentem  
 13 de tot synthesibus sui patroni ?  
 14 Aut non gratus Episcopo est Bohero,  
 15 aut certe malus est poeta, vel sit  
 16 oportet nimium ut tenax patronus."  
 17 Vitemus rogo te, patrone, risum  
 18 vulgi, prodeo quique paenulatus,  
 19 posthac non nisi prodeam togatus.

## IN QUEMDAM AULICUM TORQUATUM.

H4\_23 v.1 Quod servi aulice langueant fame, et quod  
 2 venter esuriat frequentius quam  
 3 totis iudicio omnium diebus,  
 4 et quod murmuret oblatretque, causa est,  
 5 nam suspensa tuo est culina collo.

## IN ALTERUM AULICUM MENDACEM OBSCURUM.

H4\_24 v.1 Dum me credere vis tibi, ipse juras  
 2 non per numina, per Jovem, per altum  
 3 caelum, perve diem, per aut nitentem  
 4 Phoebum, perve animam aut caput per ipsum,  
 5 nec per sidera clariora, solam  
 6 sed per nobilium fidem, nec illam  
 7 usurpas, nisi Rex quod ipse suevit  
 8 hanc jurare frequenter ; at licet tu  
 9 sic bis, terve, quaterve, quinquiesve  
 10 jures, non tamen hac fide excitabor,  
 11 qua commune nihil magisque vanum est,  
 12 quam jurant stabularii et bubulci,  
 13 et jam mulio sordidusque agaso.  
 14 Quod dicis mihi vis probare verum ?  
 15 Jusjurandum aliud noves oportet.

## AD BOYSSONEUM, DE MAURO.

H4\_25 v.1 Maurum si nihil audias loquentem,  
 2 dices esse Catone doctiorem ;  
 3 nugas si videas suas sonantem,  
 4 dices protinus esse morionem.

## DE ANNEO.

H4\_26 v.1 Non me diligit Anneus, quid ad me ?  
 2 Nec prodesse potest, nec is nocere.

## IN QUEMDAM POETAM.

H4\_27 v.1 Invitas ad opus boni poetae,  
 2 rerum percupidus statim novarum  
 3 curro, tu recitas tuos libellos,  
 4 et hos alterius facis : putasne  
 5 mi condire bovem loco ferinae ?  
 6 Vesicas mihi num cupis probare  
 7 laternas fere ? Desipis profecto,  
 8 persuades tibi si cacationes  
 9 me tuas nec olere, nec videre.  
 10 Nasus mi sapit et sapit palatum,  
 11 et plusquam satis est, vident ocelli.

## AD EUMDEM.

H4\_28 v.1 Quos nobis recitas domi libellos,  
2 si non esse tuos probare possis,  
3 uvas et poteris probare ficus.

## IN LEDOTUM.

H4\_29 v.1 Te semper, fateor, malum putavi.  
2 Sed meam superas opinionem et,  
3 ut credam, facis, esse te nocentum  
4 nocentissimum et omnium malorum  
5 qui spirant, facile esse vel supremum,  
6 haec tua improbitas probat. Nocere  
7 nam tantummodo non studes nocenti  
8 ulla in re tibi, pauculos amicos  
9 usum qui tibi reddidere vitae,  
10 scriptis verum etiam tuis laccessis.  
11 I, jam concilies novos amicos,  
12 quos tu perdere mensibus futuris  
13 possis, nam veterem haud habes amicum.

## AD WITASSIUM.

H4\_30 v.1 Si quid per te agere (ut vales) queas, ne  
2 exspectes, moneo, tuos amicos.

## AD ANNEUM.

H4\_31 v.1 Illos cum recitas tuos libellos,  
2 me plusquam saturas, satur sed ipse  
3 sic sum stultule, ut esurire malim.

## AD LEDOTUM,

H4\_32 v.1 Qui possis, rogo te, placere cunctis,  
2 cum jam displiceas tibi vel uni ?

## AD VILLUM.

H4\_33 v.1 Se debere tibi Basirianus  
2 nummos, Ville, decem valens fatetur,  
3 aeger non nisi quinque. Ville, partem  
4 quamprimum accipe, ni brevi sepulto  
5 totum perdere vis Basiriano.



## AD VERACIUM.

H4\_34 v.1 Marcum, quem mihi mutuo dedisti,  
2 illaesum tibi reddo Martialem.  
3 Ut tu, si te iterum rogem, remittas.

## DE SE ET BASIRIANO.

H4\_35 v.1 Cum me ridiculum Basirianus  
2 cunctis reddere gentibus cupit, tum  
3 me servum vocat, et malum poetam.  
4 Servus sum, et malus ipse sum poeta,  
5 sed non ridiculus quis esse possit  
6 et servus simul et bonus poeta ?  
7 Res est difficilis, Basiriane.  
8 Haec si quis fuerit duo assecutus,  
9 ut servus bonus, et bonus poeta  
10 esset, ridiculum esse me fatebor.

## DE IGNOBILI ARVERNO IN SEPULCHRO NOBILI POSITO.

H4\_36 v.1 Nuper marmoreum videns sepulchrum  
2 Arverni bene cogniti mala in re,  
3 coepi sic tacitus loqui : "Ad quid oro  
4 tot sumptus ? Potuisset hoc sepulchrum  
5 reges claudere sanguinemque regum,  
6 hoc ignobile quod tegit cadaver."  
7 Prorumpo in lacrimas, fluunt abunde  
8 emissae ex oculis genas per ambas.  
9 Quidam me arguit, increpatque flentem  
10 istis , sic puto, talibusve dictis :  
11 "Nae tu, quisquis es, impius videris,  
12 hostem qui patriae doles, sepultum."  
13 Illi contra ego : "Falleris, sepulchri  
14 jacturam fleo, non fleo sepulti.

TACTAM E CAELO TURIM LUTETIAE  
QUO DIE ICTA SUNT FOEDERA INTER FRANC. ET CAROL.

H4\_37 v.1 Turres, sulphureosque commeatus  
2 illo tempore, quo tonans ab alto  
3 misso Juppiter igne dissipavit,  
4 damno, Gallia, pro tibi creato,  
5 pacis spem dedit et dedit quietis ;  
6 pacem immo auream et auream quietem  
7 summus Juppiter obtulit diebus  
8 nostris, Gallia. Num putas suave

9 damnum, commoda tanta quod sequuntur ?  
10 Nil perdit faciens lucrum, haec vetus vox.

## AD STELLANUM.

H4\_38 v.1 "Non possum facere ullo ut ipse pacto  
2 sim gratus Domino meo", mihi inquis.  
3 Vis, Stellane, viam tibi ministrem,  
4 qua gratus domino tuo esse possis ?  
5 Qualem te decet esse, talis esto.

## AD DEVLEIUM.

H4\_39 v.1 Quicquam non pudor est eum rogare,  
2 qui dat plura tibi suapte sponte,  
3 quam si continua prece obruatur ?  
4 Contra, non pudor est nihil rogare  
5 illum qui dare nil suapte sponte  
6 suevit, sed dare multa si rogetur ?  
7 Errores similes videntur esse  
8 (si errores modo debeant vocari)  
9 multis, iudice me, nihil rogare  
10 quemquam non scelus est, nec est rogare.  
11 Certum est nil tamen esse carius quam  
12 longis quod precibus fuit redemptum.

## MARMOR SEPULCHRI CUJUSDAM, VIATORI.

H4\_40 v.1 Unum te doceam feras, viator :  
2 marmor nobile nobiles in usus  
3 aptari potui, tego latronem  
4 in fixa cruce qui diu pependit.  
5 I, jam me miserum fleas sepulchrum,  
6 manes nec miseri fleas latronis.

## AD CAR. STEPHANUM.

H4\_41 v.1 Vobis quid Stephanis tribus, Roberto,  
2 Francisco, tibi Carole, et trium uni  
3 vitrico facili rudis juvenus,  
4 nostro hoc tempore, saeculo hoc beato,  
5 Franco principe, diligentiae ergo  
6 non debet ? Magis ipsa bis duobus  
7 debet mehercule, quam omnibus magistris,  
8 professoribus atque paedagogis.  
9 Vestra namque opera, et labore factum est,  
10 ut nil nunc habeant libri Latini,

11 quod non discere quisque per se, et absque  
 12 praeceptore, queat. Nec est necesse  
 13 nostra ut natio Gallicana posthac  
 14 ad Scholas properet, vel ut magistrum  
 15 simplex turba, tenella, delicata,  
 16 clamantem audiat, audiat tonantem,  
 17 aut sceptrum videat, minasque spectet,  
 18 doctoris ferulasve murmurantis.  
 19 Thesaurus mihi Gallicolatinus  
 20 Roberti Stephani, viri elegantis,  
 21 certus testis erit, breves libelli,  
 22 perdocti tamen, utilesque multum,  
 23 vestes, vascula, naxiumque formae,  
 24 horti, femina, queis docentur a te,  
 25 augebunt etiam fidem probati  
 26 vitrici typus, officina, prelum,  
 27 nec me vana loqui satis loquentur.  
 28 Francisci quoque niduli librorum  
 29 tersorum, quibus explicatur omne,  
 30 phrasis quod capit utriusque linguae,  
 31 (de linguis Latiaque Gallicaque,  
 32 hic fit mentio) niduli inquam abunde  
 33 a falso mea vindicare possunt  
 34 isthaec carmina, et auribus putabunt  
 35 nil a me esse datum suis, probe illi  
 36 qui vos in cute noverint et intus.  
 37 Jam cum, Carole, quattuor juvenus  
 38 nil non Gallica debeat labori,  
 39 sacras quae studet expoliri ad artes,  
 40 vobis, quid rogo, quattuor reponet,  
 41 hoc pro munere diligentiaque ?  
 42 Nil dignum dare, vel potest parare,  
 43 hoc unum nisi det paretque, avitum  
 44 nomen quod sonat. Ergo det juvenus  
 45 vitrico et, Stephanis tribus, coronam.

AD RUTILIUM NEUSTRIUM.

H4\_42 v.1 Versus non nisi posse te sonoros  
 2 sunt qui ludere praedicent, sed istud  
 3 non credam Rutili. Quis, oro, credat  
 4 raucum posse modos sonare dulces ?  
 5 Istud difficile admodum esse credo.

AD EUMDEM.

H4\_43 v.1 Aedes esse tuas sacras Minervae  
 2 et Musis Venerique Gratiisque  
 3 affirmas, Rutili. Quid ergo nutris

4       impuram scabiem gravemque tussim,  
 5       nodosam podagram, asperam chiragram,  
 6       Nigri fornicis improbasque lenas ?  
 7       Haene sunt, Rutili, tuae Minervae ?  
 8       Aut Musae, Veneresve Gratiaeve,  
 9       Aedes esse quibus sacras mihi tu  
 10       narras ? Sunt, puto. Nam poema si quod  
 11       condis, has redolet suavitates.  
 12       Tales hercle deas domi esse nollem,  
 13       quae siccum, miserabilem, otiosum,  
 14       raucum, rancidulum, putrem horridumque,  
 15       elumbem et faciunt suum poetam.

## AD HANCUM.

H4\_44   v.1       Ut sim pauperior poeta Codro,  
           2       thoracem fero sericum die omni.  
           3       Dicis stultitiae aut superbiae esse,  
           4       Hance : falleris, est necessitatis.

## DE CINNA.

H4\_45   v.1       Quicquid dixerit ante, scripseritque,  
           2       quicquid fecerit ante Cinna, monstrum est.  
           3       Monstrum nempe solet creare monstra.

## DE EJUSDEM SEPULCHRO.

H4\_46   v.1       Strumosum fuit hoc in orbe quicquid,  
           2       gibbosum pariter, tumensque quicquid,  
           3       monstrosum, horrificum, asperumque quicquid,  
           4       insulsum, stolidum, insolensque quicquid,  
           5       mucosum, male olens, pediculosum,  
           6       spurcum, rancidulum, grave, insuave,  
           7       impurum, scabiosum, et ulcerosum,  
           8       abjectum stolidumque saxeumque,  
           9       durum marmoreumque plumbeumque,  
 10       corruptum, vitiatum inelegansque,  
 11       quicquid femineumve garrulumve,  
 12       larvatum, lutulentum, iniquum, ineptum,  
 13       quicquid denique in orbe belluinum,  
 14       hoc quo Cinna jacet loco, est sepultum.

## AD PERINNAM, ITALUM SCORTUM.

H4\_47   v.1       Scortum turpiculum, ante prostitutum  
           2       caudis tot quot habet polus nitentes

3       stellas, non mihi passerem remittes ?  
 4       Nequicquam tibi scripsero ? Minatus  
 5       nequicquam fuero tibi ruinam,  
 6       passerem nisi redderes ? Quid ? In te  
 7       cristatas cupis excitem phalanges ?  
 8       Vis armem hendecasyllabos meos ? Vis  
 9       in te pessima, vis truces iambos  
 10       vibrem ? Si sapias mihi remitte,  
 11       nunc nunc putida passerem remitte ;  
 12       sunt praesto hendecasyllabi, atque iambi,  
 13       qui te dilacerent probris, nihilque  
 14       restat, hoc nisi, classicum sonare,  
 15       vel signum dare versuum cohorti,  
 16       vel contendere voce. Vos abite  
 17       versus, currite, passerem ciete  
 18       in scortillum olidum, improbum insolensque,  
 19       hanc convellite putidam, meoque  
 20       illam passere devorate salvo  
 21       lupam foetidulam atque pertinacem,  
 22       quae non reddere vult mihi petenti,  
 23       et multis precibus reflagitanti,  
 24       gratas delicias jocosque dulces.  
 25       Educam lupa vis meas cohortes ?  
 26       Quod possum cupis istud experiri ?  
 27       Jam jam non mihi passerem remittis ?  
 28       Reddendi tibi cras locum negabo.

## AD MARTIANUM.

H4\_48   v.1       Si quod lusi Epigramma, Martiane,  
           2       missum a me tibi scis, prius daretur  
           3       quam prelo, placuisse nuntiasti,  
           4       partem iudicii tui secutus  
           5       permisi hendecasyllabos premi, nunc  
           6       contemnis, studio mihi nocendi,  
           7       illa ipsa omnia quae prius probaras.  
           8       Vis dicam tibi, Martiane, verum ?  
           9       Prodes plus mihi quam velis. Putabam  
 10       sano et iudicio esse temperato  
 11       te, nunc iudicium haud habere credo.

## AD HERISSAEUM.

H4\_49   v.1       Quid distet bonus a malo poeta,  
           2       optas me tribus explicare verbis ?  
           3       Id distat bonus a malo poeta,  
           4       quod distas homine a parum perito.

## AD EUMDEM.

H4\_50 v.1 Illos non voco classicos poetas,  
 2 qui servire foroque temporique  
 3 norunt, carmina dent licet diserta.  
 4 Illos sed puto nobiles poetas,  
 5 quos tutela deum fovere suevit.

## IN QUEMDAM.

H4\_51 v.1 Cantas carmine quod mihi dicasti,  
 2 uxorem juvenem nimis, nimisve  
 3 canam ducere nolle. Qualis ergo est,  
 4 nupsit quae tibi proximis diebus,  
 5 cujus non duo sunt in ore dentes ?  
 6 Aut anus nimis, aut nimis puella est.

## AD AEGIDIUM BOHERUM MAECENATEM.

H4\_52 v.1 Cum se carminibus meis locari  
 2 Orco sors videt et deam negari,  
 3 sed pestem exitiabilem vocari ;  
 4 non impune feres, mihi illa dicit.  
 5 Nam te quid valeam docebo. Vires  
 6 prorsus comminam tuas, quietem  
 7 optatam studiis negabo, teque  
 8 re omni destituam, atque destitutum  
 9 oblanguere sinam diu, nec ullum  
 10 contendam dolor ut tuus movere  
 11 possit, continuo sed usque, et usque  
 12 vi torquebere maxima laborum.  
 13 Et summam tibi me deam probabo,  
 14 magno, crede mihi, tuo periculo.  
 15 Vix haec dixerat ore sors minaci,  
 16 maecenas mihi care, cum benigna  
 17 meme (quae tua lenitudo) voce  
 18 constanti esse animo jubes et atras  
 19 quae me conficiunt levare curas  
 20 suades, munere me beans peramplo.  
 21 Et quo nunc valeam pili aestimare  
 22 sortis pila, minas, trucesque vultus,  
 23 et clamare queam, idque voce magna :  
 24 I nunc, sors inimica, pestilensque,  
 25 i nunc non nisi sors bonis molesta,  
 26 i nunc quod potes explica illud in me,  
 27 effunde et caput in meum, nocere  
 28 nec possis mihi, me nec adjuvare.  
 29 Nam victor tuus est mihi patronus.  
 30 At caro tibi numini, quid ipse

31 reddam munere pro tuo ? Tropaeum  
 32 de victa tibi sorte construam, quo  
 33 victae muneribus tuis honestis  
 34 fortunae spolia ampla fixa cernes,  
 35 et quo vel potero labore, vel qua  
 36 cura, (reddere nam mihi est negatum  
 37 majora aut potiora) majus omni  
 38 nomen nomine posteris relinquam,  
 39 nomen dico tuum, Bohere, teque  
 40 nemo nesciet, exstitisse vate  
 41 dignam ipso vel Horatio patronum.  
 42 Saeclo teque imitabitur sequenti  
 43 is quicumque volet favere Musis.

DE FRANC. VALESIO, REGE GALLO.

H4\_53 v.1 Quantum Gallia regna cuncta, Reges  
 2 tantum Rex bonitate vincit omnes.

DE GILLA ET PRESSA.

H4\_54 v.1 Artem Gilla sapit fututionum,  
 2 qua canas valeat citare caudas,  
 3 deformissima sed puellularum est.  
 4 Nescit Pressa jocos fututionum,  
 5 qua possit juvenum movere penem,  
 6 formosissima sed puellularum est.  
 7 Dii, vellem, facerent, haberet illam  
 8 formam Gilla, vel hanc haberet artem  
 9 Pressa. Quam foret apta, quam suavis  
 10 Rullo gratia, qui fovere Gillae  
 11 cunnum cogitur ob fututiones,  
 12 Pressae, ob basia, candidam figuram.

AD MOLINEUM.

H4\_55 v.1 Aldinos tibi Strozios remitto,  
 2 usus sum quibus hoc modo, his abusus  
 3 ut non sim. Mihi erat duas ad horas,  
 4 vel tres tantum opus. At tibi obligabis,  
 5 (quamvis jam satis ipse sim obligatus)  
 6 me novo genere obligationis,  
 7 si tu suppedites typis eisdem  
 8 excusum Ausonii poema Galli,  
 9 paucos quod tibi post dies remittam.

## AD HENRICUM LABERIUM.

H4\_56 v.1 Excudi in te aliquid putas libelli  
 2 dentati, Laberi, hujus et facis me  
 3 auctorem. Male tu quidem. Putasne  
 4 tam me iudicio carere, tamque  
 5 incensum studio nocendi, ut illum  
 6 optem laedere criminatione,  
 7 ronchis persequi et inquinare morsu,  
 8 nulla re mihi qui fuit molestus,  
 9 nulli est noxius, omnibus benignus ?  
 10 Erras si, Laberi, hoc putes. Malorum  
 11 in me crimina vix sequor, nec illa  
 12 insector nisi saepe provocatus,  
 13 tantum abest cupiam tibi nocere,  
 14 qui numquam fueris mihi molestus.  
 15 Nolis ipse velis, tibi sum amicus.

## AD MELLINUM SANGELASIIUM.

H4\_57 v.1 Ut non maximus optimusque amicus  
 2 esse creditur, aut vocatur umquam,  
 3 longa ni fuerit die probatus,  
 4 sic nec, si bene iudico, esse amicus  
 5 is, Melline, queat, repente amori  
 6 (nec dum amicitia bene instituta)  
 7 qui renuntiat aut fovere nescit,  
 8 quos delegerit ante diligendos.  
 9 Quorsum haec, Sangelasi, rogas ? Id a me  
 10 dictum est, ut memorem illius diei  
 11 credas me, tibi Scaeva quo ligavit,  
 12 Scaeva summus utrique nostrum amicus,  
 13 vir tanti ingenii ille tamque amoeni,  
 14 ut nil simpliciusque clariusque,  
 15 hoc sit vel fuerit vel esse possit,  
 16 dum me ad delicias tuae vocavit  
 17 cenae, Juppiter o mihi beatae  
 18 cenae longe aliis disertioris.  
 19 Cujus tam teneo ordinem, locum, horam.  
 20 Convivas quoque splendasque mensas,  
 21 quam si a principio statim adfuissem.  
 22 Ne me vana loqui putes, docebo.  
 23 In hac lumina Galliae sedebant  
 24 tecum, lumina Galliae ipse dico  
 25 inter cetera luminosiora,  
 26 gentem sidere quae suo serenant.  
 27 Et ut de dapibus cibusque lautis,  
 28 ut de femineo choro pudico  
 29 verbum ne faciam quidem, cubabat  
 30 primus, Aemilius fori Perottus



31 princeps, si rationem habes sacrarum  
32 legum, interprete quo obviae esse cunctis  
33 possunt, vel mediocriter peritis.  
34 Carlaeus juvenis quidem, Platonis  
35 atque Aristotelis datus libris, vir,  
36 inquam, annis juvenis, sed ille dignus  
37 barba candidulaque pallioque  
38 istorum veterum et senum sophorum,  
39 huic partem oppositam occuparat. Inde  
40 Ranconetus, homo omnium virorum  
41 perfectissimus omniumque quotquot  
42 nutrit Gallia maxime absolutus,  
43 cura, iudicio, labore, sensu,  
44 arte denique diligentiaque  
45 (Budaem excipio tamen, virum illum  
46 summum, Gallia quo triplex alumno  
47 ampullatur et ipsa jure turget)  
48 sequebatur eos loco in secundo.  
49 Ejus e regione erat locatus  
50 Janus Fraxineus, fidelis auctor  
51 Scotiae historiae, pereruditus,  
52 imberbis et adhuc, tenerque amicus.  
53 Post hunc, si memini, ordinem secundum  
54 sedebat Rhodius, peritiorum  
55 unus de numero oppidoque doctus,  
56 doctus haud dubie utriusque linguae.  
57 Objectus Rhodio puer tenellus  
58 Robertetus erat venustulus, quem  
59 perdocte sibi creditum pieque  
60 format, perpolit excolitque ad artes  
61 Romanas simul, Acteas simulque.  
62 Tu vero caput ultimum replebas  
63 cum testudine callida et loquace,  
64 septem quae lapides movere nervis  
65 possit, dum resonat tuo icta pulsu.  
66 Cenae Scaeva et ego actui ut supremo  
67 intervenimus, haud tamen molesti,  
68 quin grati tibi ceterisque amicis.  
69 Nam deduxerat ille me sodalem  
70 tui conciliandi amoris ergo.  
71 Quem visum tuo amore judicasti  
72 dignum, me similem tui arbitratus,  
73 magni et non nihil esse, cum nihil sim.  
74 Res utcumque habeat, necessitudo  
75 quae junxit tibi me vel immerentem,  
76 rumpetur levitate non mea ullo  
77 certe tempore nec peribit ipsa,  
78 frigescet quoque derelicta numquam.  
79 Sed cum (quae bonitas tua) ipse amicum  
80 Vulteium in numero locas eorum,  
81 quos virtus tibi sola fecit, illum

82 candorem eximium modestiamque  
 83 tuam incredibilemque comitatem  
 84 ipsa re omnibus explicare pergam.  
 85 Ut quo munere me tuapte sponte  
 86 ornasti, hoc videar puterque dignus.  
 87 Tandem et, Sangelasi, obtinere apud te  
 88 nomen et titulum probati amici  
 89 possim iudice te, et tibi placere  
 90 uni, prae reliquis mihi placenti.

AD NICOL. ET ANTON. JUCUNDOS.

H4\_58 v.1 Jucundi duo nobiles puelli,  
 2 non vos nobilitas parentum, avorum  
 3 non vos splendida tecta, non parata  
 4 res, non vos reditus potentiores  
 5 ullo praepediant modo avocentve  
 6 sacrarum a studio artium, at putate  
 7 nil prorsus genus esse, nil paratas  
 8 res, nil splendida castra, nil avorum  
 9 nomen. Temporis haec jacent sepulta  
 10 puncto, nec bona sunt vocanda vere.  
 11 Ergo pergite comparare vobis  
 12 jucundi duo nobiles puelli,  
 13 haec quae vos facient negante nullo  
 14 vera nobilitate nobiles, hoc  
 15 non est difficile admodum duobus  
 16 vobis. Ante oculos, sacros parentum  
 17 mores ponite, quamque paedagogus  
 18 quadratus, juvenis bene eruditus  
 19 virtutem docet, hanc sequi studete.  
 20 Ista nobilitas paratur arte,  
 21 sanguis quam dare non potest avorum.  
 22 Sic alta itur ad astra, sic jacente  
 23 nomen corpore floret atque vivit.  
 24 Ulla nec brevior via esse possit,  
 25 ullus nec melior modus parandi,  
 26 illam quam petimus perennitatem.

AD RADULPHUM QUADRATUM.

H4\_59 v.1 Jucundos tibi creditos docendo,  
 2 Quadrante optime paedagoge, multos  
 3 devinctos facis hoc tibi labore.  
 4 Primum, discipulos, adhuc tenellos,  
 5 horum praeterea obligas parentes,  
 6 communem quoque patriam. Laboris  
 7 fructum non potes ipse non honesti,  
 8 Quadrante optime, sustinere tandem.

## AD GABRIEL. FEYDEUM.

H4\_60 v.1 Tot incommoda quid feram, quid inde  
 2 tot morsus, tot et improbos latratus  
 3 abjectorum hominum rogas ? Malorum  
 4 illorum ratio est. Nimis sodalem  
 5 cunctis me facio nimisque amicum.

## AD MICHAEL. LAMBERTUM.

H4\_61 v.1 Rides sic puto, cum timere dicis  
 2 te ne carminibus tuis phaleucis  
 3 cultis haud dubie oppidoque doctis  
 4 offender. Rogo desinas timere.  
 5 Et, Lamberte, scias sciasque per me  
 6 offendi numeris solere numquam  
 7 puris, dulcibus elegantibusque.  
 8 Offendor rudibus, juvor canoris.

VALEDICIT HENDECASYLLABIS,  
MUSIS OMNIBUSQUE QUORUM FAVORE, ET OPERA USUS EST.

H4\_62 v.1 Valete Hendecasyllabum libelli.  
 2 Valete Hendecasyllabum patroni.  
 3 Simon cujus ope ac labore multo,  
 4 cujus aere typisque lux perennis  
 5 sata est hendecasyllabum quadrigae,  
 6 (quadrigam voco quattuor libellos)  
 7 aeternum valeas. Stupa et Besarde,  
 8 naevos tergere queis datur librorum,  
 9 praetermittere syllabam nec ullam,  
 10 nullam invertere litteram, nec ullum  
 11 punctum omittere, quo juvetur ipse  
 12 lector, cura quibus, simul valete.  
 13 Et vos ex animo optimi poetae,  
 14 navastis qui operam meis phaleucis  
 15 ornandis, opera valete eadem.  
 16 Et tu, Phoebe parens, vale. Valete  
 17 Musae denique quotquot estis omnes.  
 18 Nam me oratio nunc vocat soluta.

## QUARTI HENDECASYLLABORUM FINIS.

\*\*\*\*\*